DE OVIDI MYTHOPOEIA

QVAESTIONES SEX

DISSERTATIO INAVGVRALIS
QVAM
CONSENSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE IX M. FEBRVARI A. MCMI
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS
PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

Gvilelmvs VOLLGRAFF
BATAVVS

ADVERSARII ERVNT
RUDOLPH BURCKHARDT, stud. phil.
KURT PRENZEL, stud. phil.
EMIL HERKENRATH, stud. phil.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT H. S. HERMANN
1901

Constantius fund

PATRI

STVDIORVM AVCTORI

DE OVIDI MYTHOPOEIA

QUAESTIONES SEX

Exigui huius libelli non est rationis momentis ex omni opere Ovidi petitis ostendere poetam plerumque mythographorum nuda verba exornasse. quod si quis heroum stirpibus mythographorum maxime cum Ovidianis stirpibus collatis iure suspicari sibi visus erit, ei ut coniecturam suam stabiliat in singulis Metamorphoseon narrationibus semper eadem revocanda erunt in quaestionem omnique ratione id efficiendum erit ut simul definiatur utrum enchiridium aliquod mythographicum adhibitum sit an poema an vero utrumque et intellegenti iudicio dirimatur quid incorruptis fontibus, quid rectius versatili ipsius ludentis scriptoris ingenio tribuendum sit. res magni ambitus profecto et periculosae plenum opus aleae.

DE FABVLA LYCAONIS

Metamorphoseon libro I (1) Iuppiter deorum concilio convocato narrat quas sibi Lycaon Arcas struxerit insidias. cuius impietate et atroci scelere permotus

(1) vs. 163 sqq.

immedicabile vulnus ense recidere ferreamque prolem superum contemptricem qua totum Nereus circumsonat orbem sub undis perdere decernit. Deucalioni cum coniuge Pyrrha solis superstitibus esse continget.

fabulae non paucis tantum eruditis hominibus e mythographorum reliquiis cognitae sed cuius notitia per gratissimum poetam pervenit ad unumquemque et unamquamque cum cura in fontem inquirere in animo est, quo dispiciamus referatne revera Arcadicae fabulae integram atque genuinam speciem necne.

obiciat mihi aliquis Ovidium et hancce fabellam et alias aeque apertas ac simplices bene multas sine ullo scripto fonte memoriter exponere potuisse. ut concedam potuisse — nam neque aliis locis permultis neque in Lycaonis fabula invictis argumentis demonstrari potest poetae auxiliarem librum praesto fuisse — addubito tamen num fecerit. utut est, non multum interest. si enim inter scribendum mythographum aut poetam aliquotiens ad manum habuit neminem, memoria tenebat singulas fabulas quales a mythographis poetisve acceperat. scilicet Romae graecanicae fabulae non erant in ore vulgi.

concilium deorum, etsi locus inde ab Homero vatibus tritus atque communis fuit, suo more tamen rhetorice exornavit poeta Romanus nec quidquam inter Graecae poeseos reliquias occurrit simile. quare huius certe fabulae partis exornationem ipsi assignare nemo facile dubitabit. adde quod bis praeterea rerum Romanarum mentio inicitur:

I. 175 aedes Iovis dicuntur Palatia caeli.

paulo post (2) manus impia reprehenditur, quae pari saevitia Caesari insidiata erat. quem locum a poeta retractatum esse patet e tautologia quae inest in vs. 205 sqq. ambigitur autem sitne hic cum Hauptio (2a) coniuratio illa intellegenda qua periit C. Iulius Caesar an potius nova quaedam conspiratio contra Caesarem Augustum; id quod alii contenderunt utique poscere loci sententiam quippe quae misere claudicet si cum Iove componatur Iulius Caesar. hunc enim occidisse, Iovi vero insidiatorem poenas dedisse. quorum sententiam ipse subsequi non dubito. si enim de Iuli Caesaris caede sermo fuisset, vix apte Augustus vs. 204 sq. pietatis suorum commonefieret. totum igitur hunc locum postea a poeta insertum esse apertum est.

nec concilium deorum tantum sed etiam Lycaonis metamorphosis a poeta ita exponitur ut proprium eius ac peculiare scribendi genus facile agnoscatur. in quem denique nisi in ipsum Ovidium cadit summa illa rerum Arcadicarum ignoratio quae ostendit Romanum poetam carmina Graeca versare unde

(2) confremuere omnes studiisque ardentibus ausum
talia deposcunt. sic cum manus impia saevit
sanguine Caesareo Romanum extinguere nomen,
attonitum tanto subitae terrore ruinae
humanum genus est totusque perhorruit orbis.
nec tibi grata minus pietas, Auguste, tuorum est,
quam fuit illa Iovi. qui postquam voce manuque
murmura compressit, tenuere silentia cuncti.
substitit ut clamor pressus gravitate regentis,
Iuppiter hoc iterum sermone silentia rupit.

(2a) vide commentarium ad editionem eius.

narrationi suae lumina et colorem sumeret commode supersedisse? scilicet et montium Arcadiae nomina notissima mirum quam praepostere disposuit (3) et Lycaonis avi Arcadis interitum narraturus Arcadis sedes dixit pro Arcadia (4). quae cum ita sint, Ovidium asseverarim — nisi forte solis memoriae opibus contentus fuit — in fabula Lycaonis non poetam sed mythographum secutum esse.

nunc vero mihi cum Maassio res erit, qui de fonte, quo Ovidius in fabula Callistus usus sit, egit in commentatione mythographica altera (5). scilicet ignoti poetae versiculos quattuor continet Hygini fabula 177 ubi legimus:

„Callisto Lycaonis filia ursa dicitur facta esse ob iram Iunonis, quod cum Iove concubuit. postea Iovis in stellarum numerum rettulit; quae septentrio appellatur, quod signum loco non movetur neque occidit. Tethys enim Oceani uxor nutrix Iunonis prohibet eam in Oceanum occidere. haec ergo Septentrio maior. de qua in Creticis versibus:

tuque Lycaoniae mutate e semine (6) nymphae,
quam gelido raptam de vertice Nonacrino
Oceano prohibet semper se tinguere Tethys,
ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae (7).

---

(3) I. 216 Maenala transieram latebris horrenda ferarum
et cum Cyllene gelidi pineta Lycaei.

(4) I. 218.

(5) ind. lect. Gryphisw. 1894.

(6) mutatae semine quae est lectio codicis nihili esse Maassio concedo. sed lenior videtur correctio Nicolai Heinsi quam recepi iis quae ille protulit: sublate vel prognate e semine. v. R. Franz, de Callistus fabula. Leipz. Stud. 1890 p. 326.

(7) ultimum versum supplemento egere ratus Maassius scripsit:

haec igitur ursa a Graecis Ἑλίκη appellatur."

hos versus et alium praeterea, qui legitur apud Lactantium (8):

sed lucet in astris
Callisto renovatque suos sine fluctibus ignes,

Maassius epylli Latini de Lycaonidis reliquias esse censet. quin etiam idem epyllion Ovidio praesto fuisse suspicatur eumque ipsa verba poetae expressisse his versibus:

Metam. II. 527 at vos si laesae tangit contemptus *alumnae*
gurgite caeruleo septem *prohibete* triones
sideraque in caelo stupri mercede recepta
pellite, ne puro *tinguatur* in aequore paelex.

si recte iudicavit Maassius, vide ne inde cum aliqua probabilitate sequatur, quod ille quidem non scripsit, ut Ovidius etiam in fabula Lycaonis idem epyllion sub oculis habuerit. ego vero non video, si duo poetae eandem rem breviter narrent, cur non

---

ausa suae quia sit quondam succumbere alumnae
⟨coniugi⟩

ut *succumbere* sit *concumbere*. verum alia hoc loco vis est praepositionis eademque, quae in *sufficiendi substituendi succedendi* verbis cernitur. unde *succuba* est *paelex*. collato Hygino horum versuum et ipso, ut videtur, memori poet. astr. II. 1: „negant Tethyn Oceani uxorem id (sidus) recipere, ... quod Tethys Iunonis sit nutrix, cui Callisto succubuerit ut paelex", nullo additamento opus esse videbis (v. Aem. Behrens, misc. crit. p. 19). nisi vero Maassio credis hic eandem lacunam conspicuam esse.

(8) argum. II. 6.

in eadem vocabula incidere possint, praesertim si vocibus communibus utantur quasque res ipsa flagitet, ut vitare eas quam adhibere maioris negoti sit. quapropter nondum ab animo meo impetrare possum ut novum istud epyllion fontibus Metamorphoseon adnumerem. (9)

at mythographum Ovidio subesse posse diximus. sed Maassi sententia (10), qua poetam eandem metamorphoseon syllogen adhibuisse contendit, e qua fluxerit quam dicit metamorphoseon sylloge Medicea, rationibus innititur tam levibus et infirmis ut omnino impediar quominus eam ratam habeam. primus Wilamowitzius (11) vidit seriem metamorphoseon, quae e codd. Med. et Escur. protracta publici iuris facta est (12), pendere ex Ovidi libris Metamorphoseon. quod ipse metamorphoseon ordo, qui apud utrumque scriptorem prorsus idem est, luculenter docet. Maassius vero animum advertit ad tres nominum

(9) de toto epyllio cum vehementer dubitem, non valde doleo poetae nomen non apparere, quod Maassius apud Hyginum in verbo quod est *Creticis* delitescere suspicatur. age fingamus nomen quodlibet et scribamus in hunc modum: *de qua in Hesiodi versibus,* quis umquam sic locutus est? scriptoris nomini hic nullus locus esse videtur. quid ergo? exploratum habemus Hygini fabulas ex opere Graeco in Latinum sermonem conversas esse. itaque hos quoque versus e Graecis hexametris translatos esse crediderim, mythographum autem laudasse opus, cui nomen esset Κρητικὰ ἔπη. ceterum iam olim perspexit Munckerus de versibus, quibus res Creticae narrarentur, cogitandum esse.

(10) l. l. p. XV.

(11) Analecta Euripidea p. 182.

(12) Westerm. Biogr. p. 347.

varietates unamque discrepantiam ideoque ambobus fontem communem fuisse statuit, quem Ovidius liberius adhibuerit, scilicet ita adhibuerit, ut tria nomina temere immutarit atque corruperit, semel in fabula simpliciore nonnulla novarit. sed perlustremus singula (13).

anonymus habet *Ὀρχομενόν* et *Νυκτινόμην*, Ovidius Orchamum (14) et Nyctimenen (15). qua varietate nihil efficitur. errores sunt anonymi, errorum autem causae innumerae. sin minus, tamen nihil sequitur.

Ovidius per errorem *Phocaica tellure* (16) pro Phocica dedit, anonymus correxit. sic recte opinatus est Boehlavius. hac de re tamen disputare supersedere possum, cum ne ipse Maassius quidem inde profectus sit, sed tantum suae sententiae non obstare significarit.

anonymus habet Clymenum Nyctinomes parentem, de quo Ovidius nihil. probabiliter ergo sequitur syllogae Mediceae subesse epitomen Metamorphoseon qualem dedit Lactantius, scilicet paucis additamentis mythographicis locupletatam.

unum tamen argumentum Maassius protulit quod speciosius est. apud anonymum Clytien esse sororem Leucothoes, apud Ovidium nullam inter eas intercedere necessitudinem. dicam quid mihi in

(13) cf. R. Franz, l. l. p. 264.
(14) Metam. IV. 212.
(15) Metam. II. 590 et 593.
(16) Metam. II. 569.

mentem venerit. errorem peperisse suspicor versum (17) quo Clytie

> vulgat adulterium diffamatumque parenti
> indicat,

videlicet patri Leucothoes, non suo et Leucothoes, ut interpretatus est anonymus (18).

iam vero nobis id agendum est ut ceteris antiquis de Lycaone eiusque interitu testimoniis adhibitis Ovidi eiusque fontis fidem examinemus. primum tria afferam testimonia mythographica, quae et inter se componenda sunt et cum Ovidio conferenda. quorum aetate postremum primum locum obtineto.

Myth. Vatic. II. 60: „Lycaon quum susceptos hospitio homines interimere solitus esset, stupratae insuper filiae dolore commotus, Iove hospitio excepto, quum vellet explorare an verus Iuppiter esset, ut expertum hominem polluto hospitalitatis iure citius (19) interimeret, humanam ei carnem vescendam apposuit. unde commotus Iuppiter domum eius

---

(17) Metam. IV. 236.

(18) credat aliquis huiusmodi errores suapte natura perquam raros esse. ecce aliud exemplum ex ipso Ovidio petitum. Phyllis apud Servium ad Verg. Ecl. V. 10 est „Sithonis filia regina Thracum“ hodieque in enchiridiis et lexicis mythographicis hoc inter alios gloriatur parente. cum tamen ipse Servius Ovidium fontem suum esse fateatur („sic Ovidius in Metamorphoseon libris“) num vocari potest in dubium quin hic quoque error fluxerit e male intellecto Ovidio, apud quem Phyllis Sithonis i. e. Thraessa audit rem. am. 605?

(19) l. tutius?

incendit ipsumque mutans in lupum docuit hospitum iura non polluenda."

mentio Callistus illo tempore violatae abhorret ab Ovidio, cetera mire congruunt. sed nihilominus testem minime gravem recusaremus, nisi loci auctoritatem firmare videretur scholion Servi ad Aeneida (20) quod ipsum quidem quantumvis contractum tamen vel in singulis verbis cum Mythographo Vaticano II consentiens demonstrat huic subesse scholion ad Vergilium:

„.... Lycaonis, qui cum hospites susceptos hospitio necaret, a suscepto Iove, postquam ei epulas humanas adposuit, versus in lupum ostendit hospitii iura non esse violanda."

atque ex eodem scholio ad Vergilium fluxit scholion ad Statium (21):

„Lycaon rex Arcadiae Iovem excepit hospitio cumque vellet explorare an vere Iuppiter esset, quem domo susceperat, humanas ei carnes apposuit. Quod cum Iuppiter agnovisset, domum eius incendit ipsumque mutavit in lupum qui graece dicitur *λύκος*."

iniuriane igitur olim Hauptius (22) adnotavit solum Ovidium narrare Lycaonem Iovem necare voluisse? idem erat, ut vides, in scholio ad Vergilium quod insuper clare dicebat Lycaonem solitum fuisse hospites necare. an vero praestat Haupti iudicium tueri statuendo scholion ad Vergilium recens ex

(20) I. 731.
(21) XI. 128.
(22) ad Metam. I. 224.

Ovidio fluxisse? fateor huc inclinare sententiam meam. certe sola res qua scholion ad Vergilium explicatius est facili coniectura ex ipso Ovidio repetebatur. Lactantius quoque qui in argumento huius fabulae nullo praeter Ovidium fonte usus esse videtur, rem ita narrat quasi Lycaon advenas hospites trucidare soleret (23). Ovidius autem invitus scholiastae Lactantique erroribus ausam dedisse videtur scribendo:

198 notus feritate Lycaon
218 inhospita tecta tyranni
233 ab ipso
colligit os rabiem solitaque cupidine caedis
vertitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.

restat ut fabulam ovidianam conferamus cum diversis eiusdem fabulae figuris. neve videamur rem actam agere, Immerwahri vestigiis insistemus, qui contendit (24) testimonia scriptorum de Lycaone bifariam dividenda esse, quippe quarum aliae Hesiodeam aliae hellenisticam et Romanam figuram fabulae referant. ille quidem non significavit utrum in Arcadia utramque figuram natam esse censeat an contra recentiorem poetarum ingenium ex antiquiore fabula protraxisse. quamquam verba ipsius me adducunt ut credam illud ei magis placuisse (25).

(23) Lactantium secutus est Myth. Vat. I. 17.

(24) W. Immerwahr: die Kulte und Mythen Arkadiens. I. Bd. die arkadischen Kulte. Teubn. 1891 p. 14 sq.

(25) l. l. p. 15: dies sind im Grossen und Ganzen die beiden *Hauptgruppen* des Mythos.

Hesiodeam autem Immerwahrius dicit fabulam quam concinnavit bibliothecam Apollodori licet multa cum libertate subsecutus (26). narrat enim Apollodorus neque Immerwahrius in suam Hesiodeam fabulam recepit haecce:

Iovem similem *ἀνδρὶ χερνήτῃ* advenisse.

Maenalum fratribus minoribus natu Iovis temptandi auctorem fuisse.

Lycaonem una cum filiis fulmine ictum esse.

Nyctimo minimo natu fratrum temperatum esse.

his omissis in fine posuit terras diluvio propter nec tantum post impietatem Lycaonidarum inundatas esse, quam opinionem „nonnullis“ i. e. diverso fonti tribuit bibliotheca.

---

(26) l. l. p. 14: die Hesiodeische Version: Zeus kommt zum Lykaon. Die übermüthigen Söhne desselben wollen ihn auf die Probe stellen und setzen ihm das Fleisch eines geschlachteten Knaben zum Mahle vor. Zeus schleudert den Tisch von sich — Gründungslegende der arkadischen Stadt Trapezus — erschlägt die Frevler mit seinen Blitzen und lässt nicht eher nach, als bis Ge ihn' um Schonung anfleht. Die unmittelbare Folge dieses Frevels ist die Deucalionische Flut.

Apoll. bibl. III. 98 sq. *Ζεὺς δὲ αὐτῶν* (sc. Lycaonidarum) *βουλόμενος τὴν ἀσέβειαν πειρᾶσαι εἰκασθεὶς ἀνδρὶ χερνήτῃ παραγίνεται. οἱ δὲ αὐτὸν ἐπὶ ξένια καλέσαντες σφάξαντες ἕνα τῶν ἐπιχωρίων παῖδα τοῖς ἱεροῖς τὰ τούτου σπλάγχνα συναναμίξαντες παρέθεσαν συμβουλεύσαντος τοῦ πρεσβυτέρου ἀδελφοῦ Μαινάλου. Ζεὺς δὲ μυσαχθεὶς τὴν μὲν τράπεζαν ἀνέτρεψεν, ἔνθα νῦν Τραπεζοῦς καλεῖται ὁ τόπος, Λυκάονα δὲ καὶ τοὺς τούτου παῖδας ἐκεραύνωσε χωρὶς τοῦ νεωτάτου Νυκτίμου· φθάσασα γὰρ ἡ Γῆ καὶ τῆς δεξιᾶς τοῦ Διὸς ἐφαψαμένη τὴν ὀργὴν κατέπαυσε. Νυκτίμου δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο. τοῦτον ἔνιοι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν εἶπον γεγενῆσθαι.*

quodsi quis requirit quinam sint loci scriptorum, e quibus Immerwahrius sententiam suam petierit, ecce qui apud ipsum afferuntur:

Nic. Dam. frg. 43. Suid. s. v. Λυκάων. Eust. ad Il. B. 608. p. 302. Tzetz. Lyc. 481. Pseudo-Hecat. apud Nat. Com. IX. 9. Hygin. fab. 176. Serv. Verg. VI. 41.

e quibus duo omitti possunt quia ceteris continentur. etenim Suidas exscripsit Nicolaum et Tzetzen l. l. ubi duae huius fabulae figurae extant, quarum prima nunc respicienda est, male contraxisse bibliothecam verborum concentus docet.

Pseudo-Hecataeum quoque apud Natalem Comitem neglegere fas est.

Hygini fabula non plane convenit cum figura illa Hesiodea. addit enim Iovem hospitio receptum Lycaonis filiam Callisto compressisse Lycaonemque in lupi figuram mutatum esse, quam metamorphosin Immerwahrius alteri fabulae figurae assignat. hortatus quidem est Immerwahrius idque verissime apud mythographos recentioris aevi commisceri omnia. quod si hoc loco factum sit, concedat ergo adeo turbatum esse ut testimonio Hygini in re ancipiti uti non possimus.

atque idem fere dictum esto de Servio qui haec habet:

„Iovem Lycaonem, quod ei filium suum apposuisset epulandum, ipsum quidem fulmine percussisse, fecisse vero diluvium. . .“

nam filium occisum Immerwahrius postremae aetati tribuit.

apud Nicolaum Damascenum fabula tradita est more et modo Euhemeri deformata a sectatore interpretationis ad humanae rationis captum redactae. subest sane ea figura fabulae quam Hesiodeam dicit Immerwahrius, nisi quod etiam ieiunior est cum neque mensae oppidive Trapezuntis neque Telluris precum neque diluvi mentionem faciat.

sed iamdudum argumentum flagitamus quo Hesiodea huius fabulae origo fulciatur. est quidem fragmentum Hesiodi (27):

υἱεῖς δ' ἐξεγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο
ὅν ποτε τίκτε Πελασγός,

quo ne illud quidem demonstratur Hesiodum exposuisse fabulam. ecce Eustathium laudat Immerwahrius:

τὴν δὲ τοῦ Λυκάονος ἐπὶ τῷ Διὶ παραιβασίαν, εἰπεῖν καθ' Ἡσίοδον, οἱ τοῦ Λυκόφρονος δηλοῦσιν ὑπομνηματισταί.

haecine omnia? plane. fieri non potest ut hic locus virum doctissimum deceperit: verba *εἰπεῖν καθ' Ἡσίοδον* significant: ut voce utar Hesiodea (28). sed valde dolendum est Immerwahrium sententiam suam nullis omnino rationis momentis munivisse; neque vero ego novi rationem ullam, qua possit rite defendi.

pervenimus ad figuram fabulae, quam hellenisticae et Romanae poeseos esse sumit Immerwahrius.

(27) Strab. V. p. 221. cf. Steph. Byz. *Παλλάντιον πόλις Ἀρκαδίας ἀπὸ Πάλλαντος ἑνὸς τῶν Λυκάονος παίδων, ὡς Ἡσίοδος.*
(28) qua scilicet Hesiodus usus est Theog. 220.

dividit hanc in tres species, quarum illas poesi astronomicae et recenti aetati imperatoriae tribuit, prima vero ea est, quam habet Ovidius et mythographi quos ex eo pendere vidimus. quid dicendum est? quemadmodum modo vidimus non esse cur fabulam quam legimus apud mythographos ad Hesiodum referamus, sic nunc dispicere nequeo qua de causa fabulam ovidianam ante aetatem hellenisticam apud scriptores non comparuisse sumat Immerwahrius. verum hoc ante omnia tenendum est: testimonium Ovidi eiusdem generis atque ceterorum esse: cuncta referre vulgarem fabulae figuram qualis mythographis consueta fuerit. nihil equidem concedere dubito multa in hac fabula, ut in aliis sexcentis, poetis deberi qui fabulas suae quisque aetati accomodatis coloribus excolere solebant, nonnullaque ornamenta redolere aetatem recentiorem. velut facile est ad intellegendum, cum initio puer immolatus esse dictus esset, recentiores peccati atrocitatis augendae causa obsidem induxisse vel etiam Lycaonis filium nepotemve. attamen non duae fabulae figurae hisce scriptorum locis continentur, sed una.

age diligentius videamus de discrepantia inter scriptores quam minoris esse aestimandam apparebit quam prima specie credideris. supra comperimus neminem praeter Ovidium tradere Lycaonem caedem Iovis meditatum esse. at accuratius poetae verba perpendantur:

Metam. I. 222 mox ait: „experiar deus hic, discrimine aperto,
an sit mortalis. nec erit dubitabile verum.“

nocte gravem somno necopina perdere morte
me parat: haec illi placet experientia veri.
nec contentus eo est: missi de gente Molossa
obsidis unius iugulum mucrone resolvit...

quo loco perlecto, quis est quin sentiat ad perspicuitatem desiderari nonnihil? ait Lycaon se experiri velle utrum hospes deus an mortalis sit. at operae pretium est videre quomodo.

nocte gravem somno necopina perdere morte
me parat: haec illi placet experientia veri.

experientia sane quam periculosa deum ferro aggredi, ut experiare num immortalis sit. sed hoc mittamus; sequitur

nec contentus eo est

intellege hoc periculo parando. alio prius experimento opus esse censet:

hominem trucidat, Iovi nefandas mensas apponit. quae tandem bis experiendi ratio vel necessitas erat? forsitan conicias verba:

haec illi placet experientia veri

esse indignantis et irridentis Iovemque invidiose repetere ipsa Lycaonis verba. sed nullo modo expedies, credo, illud:

nec contentus eo est.

quapropter suspicio abesse non potest insiticium et ab ipso poeta inventum esse caedis consilium, quod

neque apud ullum mythographum reperiatur et a fabulae indole abhorreat. qua de causa autem tale quid de suo inseruerit, quaeris? credo ut versus ad Augustum, de quibus supra egimus, inserere posset.

tum si reputamus epitomarum omne genus scriptorum socordiam, res perexigui ne dicam nullius momenti habenda est, utrum apud mythographos pater Lycaon an Lycaonis filii sceleris auctores fuisse ferantur. neque video cur Maassio (29) assentiamur Hygini fabulam „e duabus conflatam esse discrepantiis“, quandoquidem apud Hyginum soli Lycaonis filii Iovem temptent, supplicio etiam pater afficiatur. quid? in bibliotheca nonne pater insons, ut videtur, una cum liberis impiis plectitur? equidem potius crediderim posterioris aevi mythographos culpandos esse qui fabulam nimis contraxerint atque detruncarint. vis exemplum consimile? proximum habes.

Eratosthenis catasterismi Lycaonis in lupum metamorphosin omittunt:

VIII *Ἀρκτοφύλαξ. περὶ τούτου λέγεται ὅτι Ἀρκάς ἐστιν ἐκ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς γεγονώς, ὃν κατακόψας Λυκάων ἐξένισε τὸν Δία παραθεὶς ἐπὶ τράπεζαν· ὅθεν ἐκείνηη μὲν ἀνατρέπει, τὴν δὲ οἰκίαν αὐτοῦ κεραυνοῖ τῆς ὠμότητος αὐτὸν μυσαχθείς.*

quid vero scripta mythographica quae Robertus ex eodem fonte manasse docuit? scholia Aratea fabulam omittunt. scholia Germanici BP (30) habent meta-

(29) ind. lect. Gryphisw. 1894 p. XVI.
(30) p. 64. 15.

morphosin, quam scholia G (31) falso loco collocant omisso supplicio filiorum. hoc igitur loco non est dubium quin grammaticorum vitio in catasterismis metamorphosis Lycaonis non legatur. quod perspexit Robertus qui lacuna indicata post *κεραυνοῖ* inserendum censuit: *αὐτὸν δὲ εἰς λύκον μετέβαλεν.* cui libenter assentirer, nisi praestaret in eiusmodi scriptis correctis librariorum peccatis quod perierit perditum ducere; modo periisse videas quidque scriptum fuerit intellegas.

simili autem modo crediderim mutilas Apollodori (32) Hyginique fabulas fluxisse e fontibus, ubi Lycaon cum filiis scelus admittere poenasque luere tradebatur.

at revertendum est ad Ovidium. cuius fons dubito num melior et explicatior fuerit, quippe apud quem scelus a solo Lycaone perpetretur, poenas luat tota domus:

240 occidit una domus

etenim ex iis quae sequuntur:

sed non domus una perire
digna fuit: qua terra patet fera regnat Erinys,

---

(31) p. 123. 20.

(32) in bibliotheca illud saltem aegre desideratur, quod Lycaonis filii suspicati sunt *ἄνδρα χερνήτην* istum forsitan deum esse. quae suspicio ne oriri quidem potuit, nisi ipse Iuppiter caelestem suam originem prodidisset, ut est apud Ovidium:

I. 220 *signa dedi venisse deum.*

efficitur voce quae est *domus* non designari aedes quae incensae fuerant, siquidem universae nequitiae non aedificia, sed homines poenas dare oportebat. idcirca mihi probabile videtur fontem Ovidi vel ipsum poetam dicere neglexisse quod debuit filios facinoris conscios fuisse. cui sententiae aliud quoque argumentum opitulatur:

non suo Marte diluvium cum interitu Lycaonis coniunxit poeta. nam idem nexus invenitur apud mythographos.

bibl. Apoll. III. 99. *Νυκτίμου* (fili Lycaonis cui soli pepercerat Iuppiter) *δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο· τοῦτον ἔνιοι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν εἶπον γεγενῆσθαι.*

idem testatur Servius (33) nec tamen ipsum Ovidium sequitur. dicit enim Iovem Lycaonem fulmine peremisse, qui apud illum lupus fit.

eadem denique praebet Mythographus Vaticanus I (34) quem ne ipsum quidem Ovidi scrinia expilasse efficio ex iis quae addit: „primum autem diluvium sub Ogyge rege Thebanorum extitit, non sub Saturno, secundum sub Iove, quod et Deucalionis dicitur.“ haec enim sine controversia ad grammaticum pertinent.

credibile igitur est fabulas de Lycaone et Deucalione diversas origine et patria poetam quendam olim copulasse eumque dignum, cuius inventum mythographi reciperent vel saltem respicerent. quis-

(33) ad Verg. Ecl. VI. 41.
(34) 189 Deucalion et Pyrrha.

quis autem fuit qui huiusmodi nexus auctor extitit, profecto etiam filios scelere onerarit quo nequitiam fuisse universam ostenderet.

extat tamen apud Pausaniam (35) diversa fabulae figura, quam Weissaeckerus (36) ceterarum parentem esse existimat. quae si nullius nisi Pausaniae testimonio niteretur, omni auctoritate careret. verum, id quod procul dubio Weissaeckerus cognitum habebat, exordium Pausaniae libri VIII manavit e fonte satis antiquo et minime spernendo. qua de re cum nemo quod sciam accuratius ègerit, ipse quantum necessarium esse videbitur disputare conabor (37).

Pausaniae liber VIII incipit quasi scriptor a Tegea et Mantinea statim periegesin ordiatur:

Ἀρκάδων δὲ τὰ πρὸς τῆς Ἀργείας Τεγεᾶται ἔχουσι καὶ Μαντινεῖς (38).

deinde via quam modo munire coeperat relicta repente aggreditur ad exordium quod dividitur in partes tres, quarum prima (39) brevissime agit de situ Arcadiae, altera (40) copiosior versatur in historia fabulari Arcadica regumque priscorum stir-

---

(35) VIII. 2. 3.

(36) lex. mythol. Roscher. s. v. Lykaon: die Vergleichung dieser Wendung (sc. mythographorum) mit der bei Pausanias kann kaum einen Zweifel übrig lassen, dass dieser der ursprünglichen Gestalt näher kommt und dass jene Weiterbildungen und Uebertreibungen bieten.

(37) iam Kalkmannus (Pausanias der Perieget p. 266) animadvertit stirpes heroum exordi l. VIII dissentire a stirpibus quae in reliqua parte libri occurrunt.

(38) v. R. Heberdey: die Reisen des Pausanias in Griechenland p. 80.

(39) VIII. 1. 1—3.

(40) VIII. 1. 4—5. 13.

Ovidio fluxisse? fateor huc inclinare sententiam meam. certe sola res qua scholion ad Vergilium explicatius est facili coniectura ex ipso Ovidio repetebatur. Lactantius quoque qui in argumento huius fabulae nullo praeter Ovidium fonte usus esse videtur, rem ita narrat quasi Lycaon advenas hospites trucidare soleret (23). Ovidius autem invitus scholiastae Lactantique erroribus ausam dedisse videtur scribendo:

198 notus feritate Lycaon
218 inhospita tecta tyranni
233 ab ipso
colligit os rabiem solitaque cupidine caedis
vertitur in pecudes et nunc quoque sanguine gaudet.

restat ut fabulam ovidianam conferamus cum diversis eiusdem fabulae figuris. neve videamur rem actam agere, Immerwahri vestigiis insistemus, qui contendit (24) testimonia scriptorum de Lycaone bifariam dividenda esse, quippe quarum aliae Hesiodeam aliae hellenisticam et Romanam figuram fabulae referant. ille quidem non significavit utrum in Arcadia utramque figuram natam esse censeat an contra recentiorem poetarum ingenium ex antiquiore fabula protraxisse. quamquam verba ipsius me adducunt ut credam illud ei magis placuisse (25).

(23) Lactantium secutus est Myth. Vat. I. 17.

(24) W. Immerwahr: die Kulte und Mythen Arkadiens. I. Bd. die arkadischen Kulte. Teubn. 1891 p. 14 sq.

(25) l. l. p. 15: dies sind im Grossen und Ganzen die beiden *Hauptgruppen* des Mythos.

Hesiodeam autem Immerwahrius dicit fabulam quam concinnavit bibliothecam Apollodori licet multa cum libertate subsecutus (26). narrat enim Apollodorus neque Immerwahrius in suam Hesiodeam fabulam recepit haecce:

Iovem similem *ἀνδρὶ χερνήτῃ* advenisse.

Maenalum fratribus minoribus natu Iovis temptandi auctorem fuisse.

Lycaonem una cum filiis fulmine ictum esse.

Nyctimo minimo natu fratrum temperatum esse.

his omissis in fine posuit terras diluvio propter nec tantum post impietatem Lycaonidarum inundatas esse, quam opinionem „nonnullis" i. e. diverso fonti tribuit bibliotheca.

---

(26) l. l. p. 14: die Hesiodeische Version: Zeus kommt zum Lykaon. Die übermüthigen Söhne desselben wollen ihn auf die Probe stellen und setzen ihm das Fleisch eines geschlachteten Knaben zum Mahle vor. Zeus schleudert den Tisch von sich — Gründungslegende der arkadischen Stadt Trapezus — erschlägt die Frevler mit seinen Blitzen und lässt nicht eher nach, als bis Ge ihn' um Schonung anfleht. Die unmittelbare Folge dieses Frevels ist die Deucalionische Flut.

Apoll. bibl. III. 98 sq. *Ζεὺς δὲ αὐτῶν* (sc. Lycaonidarum) *βουλόμενος τὴν ἀσέβειαν πειρᾶσαι εἰκασθεὶς ἀνδρὶ χερνήτῃ παραγίνεται. οἱ δὲ αὐτὸν ἐπὶ ξένια καλέσαντες σφάξαντες ἕνα τῶν ἐπιχωρίων παῖδα τοῖς ἱεροῖς τὰ τούτου σπλάγχνα συναναμίξαντες παρέθεσαν συμβουλεύσαντος τοῦ πρεσβυτέρου ἀδελφοῦ Μαινάλου. Ζεὺς δὲ μυσαχθεὶς τὴν μὲν τράπεζαν ἀνέτρεψεν, ἔνθα νῦν Τραπεζοῦς καλεῖται ὁ τόπος, Λυκάονα δὲ καὶ τοὺς τούτου παῖδας ἐκεραύνωσε χωρὶς τοῦ νεωτάτου Νυκτίμου· φθάσασα γὰρ ἡ Γῆ καὶ τῆς δεξιᾶς τοῦ Διὸς ἐφαψαμένη τὴν ὀργὴν κατέπαυσε. Νυκτίμου δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο. τοῦτον ἔνιοι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν εἶπον γεγενῆσθαι.*

quodsi quis requirit quinam sint loci scriptorum, e quibus Immerwahrius sententiam suam petierit, ecce qui apud ipsum afferuntur:

Nic. Dam. frg. 43. Suid. s. v. *Λυκάων*. Eust. ad Il. B. 608. p. 302. Tzetz. Lyc. 481. Pseudo-Hecat. apud Nat. Com. IX. 9. Hygin. fab. 176. Serv. Verg. VI. 41.

e quibus duo omitti possunt quia ceteris continentur. etenim Suidas exscripsit Nicolaum et Tzetzen l. l. ubi duae huius fabulae figurae extant, quarum prima nunc respicienda est, male contraxisse bibliothecam verborum concentus docet.

Pseudo-Hecataeum quoque apud Natalem Comitem neglegere fas est.

Hygini fabula non plane convenit cum figura illa Hesiodea. addit enim Iovem hospitio receptum Lycaonis filiam Callisto compressisse Lycaonemque in lupi figuram mutatum esse, quam metamorphosin Immerwahrius alteri fabulae figurae assignat. hortatus quidem est Immerwahrius idque verissime apud mythographos recentioris aevi commisceri omnia. quod si hoc loco factum sit, concedat ergo adeo turbatum esse ut testimonio Hygini in re ancipiti uti non possimus.

atque idem fere dictum esto de Servio qui haec habet:

„Iovem Lycaonem, quod ei filium suum apposuisset epulandum, ipsum quidem fulmine percussisse, fecisse vero diluvium. . .“

nam filium occisum Immerwahrius postremae aetati tribuit.

apud Nicolaum Damascenum fabula tradita est more et modo Euhemeri deformata a sectatore interpretationis ad humanae rationis captum redactae. subest sane ea figura fabulae quam Hesiodeam dicit Immerwahrius, nisi quod etiam ieiunior est cum neque mensae oppidive Trapezuntis neque Telluris precum neque diluvi mentionem faciat.

sed iamdudum argumentum flagitamus quo Hesiodea huius fabulae origo fulciatur. est quidem fragmentum Hesiodi (27):

υἱεῖς δ' ἐξεγένοντο Λυκάονος ἀντιθέοιο
ὅν ποτε τίκτε Πελασγός,

quo ne illud quidem demonstratur Hesiodum exposuisse fabulam. ecce Eustathium laudat Immerwahrius:

τὴν δὲ τοῦ Λυκάονος ἐπὶ τῷ Διὶ παραιβασίαν, εἰπεῖν καθ' Ἡσίοδον, οἱ τοῦ Λυκόφρονος δηλοῦσιν ὑπομνηματισταί.

haecine omnia? plane. fieri non potest ut hic locus virum doctissimum deceperit: verba *εἰπεῖν καθ' Ἡσίοδον* significant: ut voce utar Hesiodea (28). sed valde dolendum est Immerwahrium sententiam suam nullis omnino rationis momentis munivisse; neque vero ego novi rationem ullam, qua possit rite defendi.

pervenimus ad figuram fabulae, quam hellenisticae et Romanae poeseos esse sumit Immerwahrius.

(27) Strab. V. p. 221. cf. Steph. Byz. *Παλλάντιον πόλις Ἀρκαδίας ἀπὸ Πάλλαντος ἑνὸς τῶν Λυκάονος παίδων, ὡς Ἡσίοδος.*
(28) qua scilicet Hesiodus usus est Theog. 220.

dividit hanc in tres species, quarum illas poesi astronomicae et recenti aetati imperatoriae tribuit, prima vero ea est, quam habet Ovidius et mythographi quos ex eo pendere vidimus. quid dicendum est? quemadmodum modo vidimus non esse cur fabulam quam legimus apud mythographos ad Hesiodum referamus, sic nunc dispicere nequeo qua de causa fabulam ovidianam ante aetatem hellenisticam apud scriptores non comparuisse sumat Immerwahrius. verum hoc ante omnia tenendum est: testimonium Ovidi eiusdem generis atque ceterorum esse: cuncta referre vulgarem fabulae figuram qualis mythographis consueta fuerit. nihil equidem concedere dubito multa in hac fabula, ut in aliis sexcentis, poetis deberi qui fabulas suae quisque aetati accomodatis coloribus excolere solebant, nonnullaque ornamenta redolere aetatem recentiorem. velut facile est ad intellegendum, cum initio puer immolatus esse dictus esset, recentiores peccati atrocitatis augendae causa obsidem induxisse vel etiam Lycaonis filium nepotemve. attamen non duae fabulae figurae hisce scriptorum locis continentur, sed una.

age diligentius videamus de discrepantia inter scriptores quam minoris esse aestimandam apparebit quam prima specie credideris. supra comperimus neminem praeter Ovidium tradere Lycaonem caedem Iovis meditatum esse. at accuratius poetae verba perpendantur:

Metam. I. 222 mox ait: „experiar deus hic, discrimine aperto,
an sit mortalis. nec erit dubitabile verum.“

nocte gravem somno necopina perdere morte
me parat: haec illi placet experientia veri.
nec contentus eo est: missi de gente Molossa
obsidis unius iugulum mucrone resolvit...

quo loco perlecto, quis est quin sentiat ad perspicuitatem desiderari nonnihil? ait Lycaon se experiri velle utrum hospes deus an mortalis sit. at operae pretium est videre quomodo.

nocte gravem somno necopina perdere morte
me parat: haec illi placet experientia veri.

experientia sane quam periculosa deum ferro aggredi, ut experiare num immortalis sit. sed hoc mittamus; sequitur

nec contentus eo est

intellege hoc periculo parando. alio prius experimento opus esse censet:
hominem trucidat, Iovi nefandas mensas apponit. quae tandem bis experiendi ratio vel necessitas erat? forsitan conicias verba:

haec illi placet experientia veri

esse indignantis et irridentis Iovemque invidiose repetere ipsa Lycaonis verba. sed nullo modo expedies, credo, illud:

nec contentus eo est.

quapropter suspicio abesse non potest insiticium et ab ipso poeta inventum esse caedis consilium, quod

neque apud ullum mythographum reperiatur et a fabulae indole abhorreat. qua de causa autem tale quid de suo inseruerit, quaeris? credo ut versus ad Augustum, de quibus supra egimus, inserere posset.

tum si reputamus epitomarum omne genus scriptorum socordiam, res perexigui ne dicam nullius momenti habenda est, utrum apud mythographos pater Lycaon an Lycaonis filii sceleris auctores fuisse ferantur. neque video cur Maassio (29) assentiamur Hygini fabulam „e duabus conflatam esse discrepantiis“, quandoquidem apud Hyginum soli Lycaonis filii Iovem temptent, supplicio etiam pater afficiatur. quid? in bibliotheca nonne pater insons, ut videtur, una cum liberis impiis plectitur? equidem potius crediderim posterioris aevi mythographos culpandos esse qui fabulam nimis contraxerint atque detruncarint. vis exemplum consimile? proximum habes.

Eratosthenis catasterismi Lycaonis in lupum metamorphosin omittunt:

VIII *Ἀρκτοφύλαξ. περὶ τούτου λέγεται ὅτι Ἀρκάς ἐστιν ἐκ Καλλιστοῦς καὶ Διὸς γεγονώς, ὃν κατακόψας Λυκάων ἐξένισε τὸν Δία παραθεὶς ἐπὶ τράπεζαν· ὅθεν ἐκείνην μὲν ἀνατρέπει, τὴν δὲ οἰκίαν αὐτοῦ κεραυνοῖ τῆς ὠμότητος αὐτὸν μυσαχθείς.*

quid vero scripta mythographica quae Robertus ex eodem fonte manasse docuit? scholia Aratea fabulam omittunt. scholia Germanici BP (30) habent meta-

(29) ind. lect. Gryphisw. 1894 p. XVI.
(30) p. 64. 15.

morphosin, quam scholia G (31) falso loco collocant omisso supplicio filiorum. hoc igitur loco non est dubium quin grammaticorum vitio in catasterismis metamorphosis Lycaonis non legatur. quod perspexit Robertus qui lacuna indicata post *κεραυνοῖ* inserendum censuit: *αὐτὸν δὲ εἰς λύκον μετέβαλεν.* cui libenter assentirer, nisi praestaret in eiusmodi scriptis correctis librariorum peccatis quod perierit perditum ducere; modo periisse videas quidque scriptum fuerit intellegas.

simili autem modo crediderim mutilas Apollodori (32) Hyginique fabulas fluxisse e fontibus, ubi Lycaon cum filiis scelus admittere poenasque luere tradebatur.

at revertendum est ad Ovidium. cuius fons dubito num melior et explicatior fuerit, quippe apud quem scelus a solo Lycaone perpetretur, poenas luat tota domus:

240 occidit una domus

etenim ex iis quae sequuntur:

sed non domus una perire
digna fuit: qua terra patet fera regnat Erinys,

---

(31) p. 123. 20.

(32) in bibliotheca illud saltem aegre desideratur, quod Lycaonis filii suspicati sunt *ἄνδρα χερνήτην* istum forsitan deum esse. quae suspicio ne oriri quidem potuit, nisi ipse Iuppiter caelestem suam originem prodidisset, ut est apud Ovidium:

I. 220 *signa dedi venisse deum.*

efficitur voce quae est *domus* non designari aedes quae incensae fuerant, siquidem universae nequitiae non aedificia, sed homines poenas dare oportebat. idcirca mihi probabile videtur fontem Ovidi vel ipsum poetam dicere neglexisse quod debuit filios facinoris conscios fuisse. cui sententiae aliud quoque argumentum opitulatur:

non suo Marte diluvium cum interitu Lycaonis coniunxit poeta. nam idem nexus invenitur apud mythographos.

bibl. Apoll. III. 99. *Νυκτίμου* (fili Lycaonis cui soli pepercerat Iuppiter) *δὲ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ὁ ἐπὶ Δευκαλίωνος κατακλυσμὸς ἐγένετο· τοῦτον ἔνιοι διὰ τὴν τῶν Λυκάονος παίδων δυσσέβειαν εἶπον γεγενῆσθαι.*

idem testatur Servius (33) nec tamen ipsum Ovidium sequitur. dicit enim Iovem Lycaonem fulmine peremisse, qui apud illum lupus fit.

eadem denique praebet Mythographus Vaticanus I (34) quem ne ipsum quidem Ovidi scrinia expilasse efficio ex iis quae addit: „primum autem diluvium sub Ogyge rege Thebanorum extitit, non sub Saturno, secundum sub Iove, quod et Deucalionis dicitur.“ haec enim sine controversia ad grammaticum pertinent.

credibile igitur est fabulas de Lycaone et Deucalione diversas origine et patria poetam quendam olim copulasse eumque dignum, cuius inventum mythographi reciperent vel saltem respicerent. quis-

---

(33) ad Verg. Ecl. VI. 41.
(34) 189 Deucalion et Pyrrha.

quis autem fuit qui huiusmodi nexus auctor extitit, profecto etiam filios scelere onerarit quo nequitiam fuisse universam ostenderet.

extat tamen apud Pausaniam (35) diversa fabulae figura, quam Weissaeckerus (36) ceterarum parentem esse existimat. quae si nullius nisi Pausaniae testimonio niteretur, omni auctoritate careret. verum, id quod procul dubio Weissaeckerus cognitum habebat, exordium Pausaniae libri VIII manavit e fonte satis antiquo et minime spernendo. qua de re cum nemo quod sciam accuratius ègerit, ipse quantum necessarium esse videbitur disputare conabor (37).

Pausaniae liber VIII incipit quasi scriptor a Tegea et Mantinea statim periegesin ordiatur:

Ἀρκάδων δὲ τὰ πρὸς τῆς Ἀργείας Τεγεᾶται ἔχουσι καὶ Μαντινεῖς (38).

deinde via quam modo munire coeperat relicta repente aggreditur ad exordium quod dividitur in partes tres, quarum prima (39) brevissime agit de situ Arcadiae, altera (40) copiosior versatur in historia fabulari Arcadica regumque priscorum stir-

---

(35) VIII. 2. 3.

(36) lex. mythol. Roscher. s. v. Lykaon: die Vergleichung dieser Wendung (sc. mythographorum) mit der bei Pausanias kann kaum einen Zweifel übrig lassen, dass dieser der ursprünglichen Gestalt näher kommt und dass jene Weiterbildungen und Uebertreibungen bieten.

(37) iam Kalkmannus (Pausanias der Perieget p. 266) animadvertit stirpes heroum exordi l. VIII dissentire a stirpibus quae in reliqua parte libri occurrunt.

(38) v. R. Heberdey: die Reisen des Pausanias in Griechenland p. 80.

(39) VIII. 1. 1—3.

(40) VIII. 1. 4—5. 13.

pibus, tertia (41) paucis enarrat historiam Arcadiae inde a bello Troiano usque ad foedus Achaicum.

his rebus ad finem perductis Pausanias id quod sibi initio proposuerat repetens ad Tegeam et Mantineam nos relegat:

VI. 4. *εἰσὶν οὖν ἐς Ἀρκαδίαν ἐσβολαὶ κατὰ τὴν Ἀργείαν πρὸς μὲν Ὑσιῶν καὶ ὑπὲρ τὸ ὄρος τὸ Παρθένιον ἐς τὴν Τεγεατικὴν δύο τε ἄλλαι κατὰ Μαντίνειαν διά τε Πρίνου καλουμένης καὶ διὰ Κλίμακος.*

quid multa? luce clarius est Pausaniam exordium aliunde scilicet desumptum inseruisse, reliqua parte libri aut perscripta aut saltem inchoata.

prima pars exordi situm Arcadiae in media Peloponneso illustrat dinumeratis regionibus circumiacentibus quae eam a mari excludunt. in quibus fontem suum contraxisse Pausaniam inde probabile fit quod semel nexus sententiarum vitiatus est:

τούτοις δὲ (sc. Lacedaemoniorum perioecis) *ὅμορος ἡ Μεσσηνία· καταβαίνει γὰρ μέχρι θαλάσσης ἐς Μοθώνην καὶ Πύλον καὶ ἐπὶ Κυπαρισσιάς.*

quid tandem sibi vult istud *γάρ*? sensu cassa est hoc loco coniunctio causalis.

cetera omnia plane perspicua sunt. quin etiam aetatem fontis definituris ansam praebent. nam ut omittam fuisse cum Arcadia ad mare pertineret (42), longe gravius est quod Triphylia Messeniae tribuitur:

τῆς δὲ γῆς τῆς Ἠλείας κατὰ μὲν Ὀλυμπίαν καὶ τοῦ Ἀλφειοῦ τὰς ἐκβολὰς πρὸς τὴν Μεσσηνίαν εἰσὶν ὅροι.

---

(41) VIII. 6. 1—3.

Pausaniae autem aetate Triphylia Elidi attributa erat:

IV. 20. 2 (Neda flumen) *ὁρίζει τὰ ἐπὶ θαλάσσῃ Μεσσηνίοις καὶ Ἠλείοις τὴν γῆν.*

IV. 36. 7. *κατὰ τοῦτο ὁ ποταμὸς ἡ Νέδα μεταξὺ τῆς τε Μεσσηνίας ἤδη καὶ τῆς Ἠλείας διέξεισιν* (42).

neque Strabonis aetate res aliter se habebat:

VIII. p. 348. *νυνὶ μὲν οὖν τῇ Τριφυλίᾳ πρὸς τὴν Μεσσηνίαν ὅριόν ἐστι τὸ τῆς Νέδας ῥεῦμα λαβρόν.*

iam vero, ut recte diiudicemus qua aetate Triphylia Messenia dici potuerit, historia Triphyliae animo percurrenda est (43).

Triphyliae incolas Messeniis sanguine coniunctos fuisse docet Strabo (44):

χώραν δ' εἶχον εὐδαίμονα οἱ Λεπρεᾶται· τούτοις δ' ὅμοροι Κυπαρισσιεῖς· ἄμφω δὲ τὰ χώρια ταῦτα Καύκωνες κατεῖχον καὶ τὸν Μάκιστον δέ.

idem (45) narrat Lacedaemonios, Messeniis debellatis (46), victoria sua ita usos esse *ὥστε τὴν χώραν ἅπασαν τὴν μέχρι Μεσσήνης Ἠλείαν ῥηθῆναι.* dicit autem propterea Lacedaemonios Triphyliam Eleis prodidisse, quod Triphylii in bello gravissimo a vi-

---

(42) Scylax 45 *καθήκει δὲ ἡ Ἀρκαδία ἐπὶ θάλατταν κατὰ Λεπρέων ἐκ μεσογείας.*

(43) Kiepert, Lehrbuch der alten Geographie p. 260. Lolling, Hellenische Landeskunde und Topographie p. 178 sq. R. Weil, das Münzwesen des achäischen Bundes, Zeitschr. f. Numismatik p. 226. H. Pomtow, ein arkadisches Weihgeschenk zu Delphi. Athen. Mitth. 1889 p. 26.

(44) VIII. p. 345.

(45) VIII. p. 355.

(46) anno 459.

cinorum Messeniorum causa stetissent. neque vero Triphylios obnoxios quievisse docet Thucydides (47) qui narrat Lepreatas, cum iis Elei aliqando (ποτέ) contra Arcades quosdam (πρὸς Ἀρκάδων τινάς) opem tulissent, ex illo tempore Iovi Olympico talentum annuum solvisse. quod cum initio belli Peloponnesiaci facere desiissent, re ad Lacedaemonios delata, Eleos cum sententiam sibi iniquam fore suspicarentur, Lepreatarum agrum populatos esse. Lacedaemonios autem Lepreatas liberos esse iussisse simulque Lepreum praesidio occupasse. qua in re etiam magis suis commodis servierint quam Lepreatarum. quo facto, Eleos cum Argivis foedus iniisse.

ita Triphylii a quibus Eleis traditi fuerant, horum in potestatem venerunt. deinde Lacedaemoniis belli Attici expeditionibus districtis iterum Triphylia potitos esse Eleos constat. narrat enim Xenophon (48), cum aestate a. 399 Thrasydaeus Eleus legatis Lacedaemonem missis assensus esset de Triphyliae oppidis dimittendis, pacem hac conditione ei datam esse. liberaene igitur factae sunt? immo dominos mutarunt. neque pax regis iis quidquam profuit, quia Lacedaemonii iis temporibus in Peloponneso plurimum pollebant. testis est idem Xenophon (49) qui exponit anno 371, cum post proelium Leuctricum Athenienses — nam aegre ferebant civitates Peloponnesi adhuc Lacedaemoniis dicto audientes esse — concilio convocato iusiurandum concepissent in

(47) V. 31.
(48) Xen. Hell. III. 2. 30 sq.
(49) ib. VI. 5. 2.

haec verba: ἐμμενῶ ταῖς σπονδαῖς ἃς βασιλεὺς κατέπεμψε, Eleos dixisse ὡς οὐ δέοι αὐτονόμους ποιεῖν οὔτε Μαργανεῖς οὔτε Σκιλλουντίους οὔτε Τριφυλίους· σφετέρας γὰρ εἶναι ταύτας τὰς πόλεις.

apparet Triphylios ante proelium Leuctricum Lacedaemoniorum imperio subiectos fuisse. quin etiam post proelium non continuo desciscere potuerunt, qandoquidem Lepreatarum auxilia etiam auctumno a. 371 contra Mantinenses militasse constat cum Lacedaemoniis (50). ineunte demum mense Decembri a. 370, cum Agesilaus cedere coactus esset, Triphylii a Spartanis defecerunt transieruntque ad Arcades quibuscum sine mora in Laconiam invaserunt. quod didicimus ex inscriptione donari Arcadum qui Laconiam populati erant. inter hos enim etiam Triphyli Arcadis fili ad id ipsum inventi ἐκγενέται commemorantur (51).

---

(50) ib. VI. 5. 11.

(51) inscriptioni fidem demere conatur Pomtowius l. l. p. 26. 3, cuius haec sunt verba:

in der Aufzählung der beiderseitigen Verbündeten bei Xenophon vor dem Einfall in Lakonien fehlen die Triphylier, sei es nun, dass sie neutral blieben, sei es, dass sie bereits als unter den „Gesammt-Arkadern" miteinbegriffen zu denken sind. Nach dem Epigramm zu urtheilen, müssten sie an der Verwüstung und der Beute theilgenommen haben, ihr Anschluss also Anfang December gleich nach des Agesilaos Abzug erfolgt sein. Es hält aber schwer zu glauben, dass sie innerhalb weniger Wochen nicht nur die Partei wechselten, sondern auch ohne jeden zwingenden Grund sich sofort an der Plünderung des Gebietes ihrer bisherigen Bundesgenossen und Wohlthäter betheiligt haben sollen. Es wäre daher nicht unmöglich, dass sie sowohl wie das eben von den Arkadern bestrafte Heraia, das auch bis dahin zu Sparta gehalten hatte, aber jetzt bei Xeno-

Triphylii Arcades fuerunt donec *τὸ κοινὸν τῶν Ἀρκάδων* corruit (52). deinde rursus Elei facti sunt. narrat tamen Polybius (53) Eleos paulo ante a. 219 Triphyliam vi occupasse. inde ab anno 219/8 Macedonum imperio subiecti fuerunt. foederis denique Achaici inde ab anno 199 fuerunt participes.

redeo ad fontem Pausaniae qui Triphyliam Messeniae adiungit. quanam aetate hoc scriptori in mentem venire poterat? respondendum est inter a. 398 et 370, cum Sparta Triphylios pariter atque vicinos Messenios invitos sub ditione sua ac potestate tenebat.

alteram exordi partem quae in historia fabulari versatur duas stirpes diversae originis continere vidit Hiller de Gärtringen (54), quarum altera complectitur reges usque ad Agapenora Arcadum ducem in bello Troiano (55), altera reges qui inde a

---

phon auch ungenannt bleibt, vom December 370 bis Februar 369 ruhig zu Haus geblieben sind.

Pomtowius in errorem inductus est falso arbitratus Triphylios Lacedaemoniis beneficiis devinctos et amicitiae foedere iunctos fuisse. sic etiam paulo supra Lepreatas post proelium Leuctricum in Agesilai castris mansisse dicit grati animi ergo („aus alter Dankbarkeit"). quod longe secus esse videtur. Triphylii, si quid video, nomen Laconicum non minus perosi sunt quam Eleos. neque me movet locus Strabonis quo Lacedaemonii Messeniis debellatis de Lepreatis bene meriti esse dicuntur: VIII. 355 *καὶ αὐτὸν δὲ τὸν Πύλον τὸν ἠμαθοέντα εἰς τὸ Λέπρεον συνῴκισαν* (Lacedaemonii) *χαριζόμενοι τοῖς Λεπρεάταις κρατήσασι πολέμῳ.* nam huiusmodi benefici memoria vix per XC annos durarit.

(52) a. 338.

(53) IV. 77.

(54) zur arkadischen Königsliste des Pausanias. Festschrift des Gymnasiums zu Jauer. 1890. p. 53—69.

(55) Il. *B*. 609.

bello Troiano usque ad alterum bellum Messeniacum regnarint. hanc quivis recentis aetatis esse Hillero concedet; illam quoque e Rhiano in Pausaniam pervenisse idem minus recte coniecisse mihi videtur. quam re vera non recentiorem esse parte geographica iamiam confirmabitur nobis in huius quoque partis aetatem inquirentibus.

apud Pausaniam (56) recensentur oppida Arcadica a filiis Lycaonis condita numero XXVII quorum nomina haec sunt:

† *Παλλάντιον* † *Ὀρεσθάσιον* *Φιγαλία* † *Θωκνία* † *Ἀκακήσιον* † *Ἑλισσών* † *Μακαρία* † *Δασέα* † *Τραπεζοῦς* † *Μεθύδριον* *Ὀρχομενός* *Μελαινεαί* *Ὑψοῦς* *Θυραῖον* *Αἱμονιαί* *Μαίναλον* *Τεγέα* *Μαντίνεια* † *Κρῶμοι* † *Χαρισία* † *Τρικόλωνοι* † *Περαιθεῖς* † *Ἀσέα* (57) † *Λυκόα* † *Σουματία* † *Ἀλίφηρα* † *Ἡραία.*

ex his XXVII oppidis XVII quae asterisco notavi, incolis Megalopolin ad novam urbem condendam profectis, maiorem partem deserta interiisse testatur Pausanias (58).

bibliotheca Apollodori autem, quae quinquaginta filios Lycaonis novit (59), inter conditores eponymos locorum Arcadiae V tantum recenset, quorum nomina V oppidis ex his XVII respondent:

Ἕλικα (60) *Μακαρέα* *Πάλλαντα* *Λύκιον* (61) *Ἀλίφηρον.*

---

(56) VIII. 3.
(57) traditum est *Ἀλέα.* corr. Bursian.
(58) VIII. 27.
(59) III. 96 sq. unum nomen excidit.
(60) Paus. *Ἑλισσόντα.*
(61) apud Paus. excidit nomen conditoris Lycoae.

sed ex his V oppidis III etiam sua aetate superfuisse dicit Pausanias Helissonta (62) Pallantion (63) Aliphera (64); Macariae (65) et Lycoae (66) ille quidem se ruinas vidisse testatur, sed Macariam vel Romanorum aetate extitisse cognovimus e Stephano Byzantino (67), Lycoa etiam Polybio (68) nota erat.

e ceteris autem XII numero oppidis, unde incolae Megalopolin profecti sunt, quorum quidem bibliotheca eponymos non habet, XI sua aetate non extitisse diserte testatur Pausanias, Methydrion autem ex oppido vicum factum esse.

his perpensis, recte statuere mihi videor fontem Pausaniae antiquiorem, bibliothecae recentiorem esse a. 370, quo Megalopolis condi coepta est. Triphylus igitur apud Pausaniam inter Arcadis filios propterea non comparet, quod nondum creatus fuerat. quem semel inventum e memoria Peloponnesiorum non evanuisse testatur Polybius (69).

quodsi statuit Hillerus Pausaniam Apolloni Argonauticis (70) usum esse ad stirpem Alei conficiendam,

---

(62) VIII. 27. 7 et 30. 1.
(63) VIII. 27. 7 et 43. 1.
(64) VIII. 26. 5 et 27. 7.
(65) VIII. 36. 9.
(66) VIII. 36. 7.
(67) *Μακαρέαι· πόλις Ἀρκαδίας . . . κατὰ δὲ Ῥωμαίους Βεάτα.*
(68) XVI. 17.
(69) IV. 77 *τὴν Τριφυλίαν, ἣ τῆς μὲν προσηγορίας τέτευχε ταύτης ἀπὸ Τριφύλου τῶν Ἀρκάδος παίδων ἑνός.*
(70) Apoll. Argon. I. 161 sqq. Paus. VIII. 4. 8 sqq. utrobique occurrunt Lycurgus Amphidamas Cepheus filii Alei et Ancaeus Lycurgi filius.

etsi consensum video, tamen nullus video cur is demonstret Pausaniam sua Apollonio debere. immo hic eandem stirpem traditam accepit quae in antiquo fonte Pausaniae extabat.

primus, quod sciamus, Hellanicus *Ἀρκαδικά* scripsit quorum admodum pauca fragmenta aetatem tulerunt. e quibus quamvis exiguis nihilominus colligitur scriptorem apud Pausaniam Hellanicum non subsecutum esse.

cf. Paus. VIII. 3. 4, ubi Maenalus Lycaonis filius occurrit, cum schol. Apoll. Rhod. I. 769: *Μαίναλος ὄρος Ἀρκαδίας ἐν ᾧ ἡ Ἀταλάντη διῆγεν ἀπὸ Μαινάλου τοῦ Ἀρκάδος, ὥς φησιν Ἑλλάνικος.* cf. Paus. VIII. 4. 8: *Ἀλέῳ δὲ ἄρσενες μὲν παῖδες Λυκοῦργός τε καὶ Ἀμφιδάμας καὶ Κηφεύς,* cum schol. Apoll. Rhod. I. 162: *δύο δέ εἰσι Κηφεῖς, ὁ μὲν Ἀλεοῦ οὗ μνημονεύει Ἀπολλώνιος, ὁ δὲ ἕτερος οὗ μνημονεύει Ἑλλάνικος ἐν τῷ περὶ Ἀρκαδίας.*

atque de altera parte exordi hactenus. tertia historiam Arcadiae perducit usque ad aetatem qua Arcades foederis Achaici participes facti sunt. Pausanias igitur non magni scriptoris opere, sed cuiusdam *Ἀρκαδικοῖς* usus esse videtur, quae e variis fontibus composita erant.

fontis Pausaniae aetate et indole definitis, testimonium de Lycaone suo pretio aestimare possumus, dummodo quae Pausanias de suo hic illic inseruerit, accurate secludamus. satis autem notum est Pausaniae in deliciis fuisse anquirere et dirimere quibus inter fabulas fides habenda, quae pars contra utpote incredibilis reicienda esset.

incipit fontem secutus (71): *φασὶ δὲ Ἀρκάδες ὡς Πελασγὸς γένοιτο ἐν τῇ γῇ ταύτῃ πρῶτος.* pergit ipse nugando: *εἰκὸς δὲ ἔχει τοῦ λόγου καὶ ἄλλους ὁμοῦ τῷ Πελασγῷ μηδὲ αὐτὸν Πελασγὸν γενέσθαι μόνον· ποίων γὰρ ἂν καὶ ἦρχεν ὁ Πελασγὸς ἀνθρώπων; μεγέθει μέντοι καὶ κατὰ ἀλκὴν καὶ κάλλος προεῖχεν ὁ Πελασγὸς καὶ γνώμην ὑπὲρ τοὺς ἄλλους ἦν καὶ τούτων ἕνεκα αἱρεθῆναί μοι δοκεῖ βασιλεύειν ὑπ' αὐτῶν.*

deinde redit ad fontem: *πεποίηται δὲ καὶ Ἀσίῳ τοιάδε ἐς αὐτόν·*

ἀντίθεον δὲ Πελασγὸν ἐν ὑψικόμοισιν ὄρεσσι
γαῖα μέλαιν' ἀνέδωκεν, ἵνα θνητῶν γένος εἴη.

quae si cum prioribus coniunxeris, tum demum intelleges quid sibi velint verba poetae allata. scilicet haec subest sententia: dicunt Arcades conditorem humani generis Pelasgum in sua patria, non in Argolide, ut vulgo credunt, natum esse. quibuscum consentit Asius poeta qui Tellurem Pelasgum in montibus peperisse cecinit, ut genus hominum conderetur.

deinde Pelasgi inventis enumeratis transit scriptor ad filium eius Lycaonem quem tria invenisse perhibet:

primam illum urbem condidisse Lycosuram, primum Iovem nuncupasse Lycaeum (72), primos ludos instituisse Lycaea. in sequentibus autem sentimus Pausaniam exemplar suum adeo contraxisse ut nonnisi mente suppletis nonnullis loci sensum assequa-

---

(71) VIII. 1. 4.

(72) cf. schol. ad Eur. Or. 1646 ... *Λυκάονα, ὅς το τοῦ Λυκαίου Διὸς ἱερὸν εἵσατο ἐν Παρρασίᾳ.* — aliter Hyginus fab. 225.

mur. nunc enim demonstrandum erat neminem haec ante Lycaonem invenisse. atque Panathenaea quidem dicit scriptor Theseo demum regnante condita esse; antea vero fuisse Athenaea (73). sed pergere debebat ostendere Lycaea tamen vel Athenaeis antiquiora esse.

tradunt autem Hellanicus Androtio marmor Parium Philochorus ab Erichthonio Panathenaea instituta esse (74). facile igitur est videre quid exciderit: scriptor qui Athenaea a Panathenaeis distinguebat haec Theseo urbis conditori, illa Erichthonio tribuebat; Erichthonium autem vulgo constabat regnasse post Cecropem quem Lycaonis aequalem facit scriptor apud Pausaniam compilatus.

Olympicos autem ludos, quippe qui non ab hominibus sed a diis instituti esse dicerentur, negat propter id ipsum cum Lycaeis comparari posse.

controversiam de ludis agitatam excipit Lycaonis cum Cecrope comparatio, qui Athenis primus homo extitisse ferebatur. qui aetate aequales, moribus impares fuisse dicuntur. quem locum cum Pausanias non per *φασὶν Ἀρκάδες*, sed per *δοκῶ δὲ ἔγωγε* ordiatur, fonti nihilominus tribuendus esse videtur. expectabamus enim scriptorem de ceteris inventis locuturum fuisse quemadmodum modo de ludis dis-

(73) Istro quoque teste scimus opinionem Athenis viguisse ludis olim Athenaeis nomen fuisse. v. Harpocr. s. v. *Παναθήναια*. iniuria autem Wellmannus (de Istro Callimachio diss. Gryphisw. 1886 p. 104) eumque secutus Ernestus Pfuhl (de Atheniensium pompis sacris p. 20 sq.) Pausaniam ex Istro pendere sumunt.

(74) v. E. Pfuhl, l. l. p. 28.

putantem audieramus. neque profecto alia de causa, credo, Lycaon cum Cecrope componitur, nisi quod ille quoque harum rerum inventor esse dicebatur. legimus enim apud Pausaniam Cecropem Iovem *Ὕπατον* nuncupasse, quem supra a Lycaone Lycaeum dictum esse posuit. inventa, inquis, non adeo magna (75). esto. sed Cecropem antiquitus deo summo Iovi nomen indidisse fama erat (77) i. e. homines primum ad Iovis cultum deduxisse. nonne ergo aliqua cum probabilitate statuemus scriptorem, cui utriusque Iovis cultoris fama cordi esset quique Lycaonem post Cecropis tempora genitum esse nollet, difficultates ita evitasse ut Iovis epitheta daret invenienda ambobus? tum Cecrops quoque primus urbem condidisse ferebatur (77). equidem definire non possumus utrum scriptor hanc sententiam amplexus sit, ut ambobus idem simul inveniendum permitteret an illam, ut Cecropem hoc quidem a Lycaone didicisse diceret, ceterum ei longe pietate praestitisse, an vero prudens silentio aliquam partem controversiae presserit. attamen illud certe constare videtur Cecropis cum Lycaone comparationem in nimias angustias contractam esse, ergo fonti Pausaniae deberi.

---

(75) iniuria Hiller de Gärtringen inventa regum Arcadiae a Pausania e libro quodam *περὶ εὑρημάτων* petita esse arbitratus esse videtur.

(76) Eus. praep. evang. X 9 *πρῶτος ὁ Κέκροψ λέγεται Ζῆνα κεκληκέναι τὸν θεὸν μὴ πρότερον οὕτω παρ᾽ ἀνθρώποις ὠνομασμένον.*

(77) Steph. Byz. s. v. *Ἀθῆναι: πρῶτοι γὰρ Ἀθηναῖοι τὰ ἄστη καὶ τὰς πόλεις εὑρεῖν ἱστοροῦνται.*

Plin. nat. hist. VII. 194: oppidum Cecrops a se appellavit Cecropiam, quae nunc est Athenis.

audiamus igitur scriptorem ineuntis saeculi quarti de Lycaonis fabula:

(Cecrops) *ὁπόσα ἔχει ψυχὴν τούτων μὲν ἠξίωσεν οὐδὲν θῦσαι, πέμματα δὲ ἐπιχώρια ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καθήγισεν, ἃ πελάνους καλοῦσιν ἔτι καὶ ἐς ἡμᾶς Ἀθηναῖοι· Λυκάων δὲ ἐπὶ τὸν βωμὸν τοῦ Λυκαίου Διὸς βρέφος ἤνεγκεν ἀνθρώπου καὶ ἔθυσε τὸ βρέφος καὶ ἔσπεισεν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ τὸ αἷμα. καὶ αὐτὸν αὐτίκα ἐπὶ τῇ θυσίᾳ γενέσθαι λύκον φασὶν ἀντὶ ἀνθρώπου.*

quam autem Pausanias fabulae subiungit disputationem 2. 4 sq. *καὶ ἐμέ γε ὁ λόγος οὗτος πείθει — — — — ἀπόκειται*, ipse commentus est. sed rursus in § 6 inest particula fontis, cui Pausanias fidem demere conatur quamque aliis fabulis aeque ridiculis, ut putat, exaequare studet:

λέγουσι γὰρ δὴ ὡς Λυκάονος ὕστερον ἀεί τις ἐξ ἀνθρώπου λύκος γένοιτο ἐπὶ τῇ θυσίᾳ τοῦ Λυκαίου Διός, γένοιτο δὲ οὐκ ἐς ἅπαντα τὸν βίον· ὁπότε δὲ εἴη λύκος, εἰ μὲν κρεῶν ἀπόσχοιτο ἀνθρωπίνων, ὕστερον ἔτει δεκάτῳ φασὶν αὐτὸν αὖθις ἄνθρωπον ἐκ λύκου γενέσθαι, γευσάμενον δὲ ἐς ἀεὶ μένειν θηρίον.

haec enim utique cum superioribus quae sunt de Lycaone cohaerent (78).

haec est fabulae figura, quam Weissaeckerus alterius parentem esse affirmat. licet vero fons antiquus sit, tamen ratum habere nequeo quod a Weissaeckero fidenter sane iudicatum video, quippe cuius opinio neque argumentis munita sit neque per se probabilis esse videatur. at, ut rationes meae perspiciantur, in fine huius capitis quaeramus de origine fabulae.

---

(78) diiunxit Immerwahrius l. l. p. 10 sq.

in Arcadiae recessibus saltuosis ferisque scatentibus olim et Ursus colebatur et Lupus. quem prae metu in suo monte Lycaeo sanguine humano ultro oblato placabant. cultu Iovis foris introducto, antiquum numen sub novo nomine Iovis Lycaei more antiquo colere non destiterunt. at deus popularis in ore vulgi homo factus est universorum Arcadum proavus. cui cum in hac fabula partes tribuantur adversari Iovis quem deum esse non credit ille et a quo vincitur, hanc certe partem fabulae antiquissimam esse existimamus neque, auctore Weissaeckero, a poetis sero additam. respicit sane fabula vulgaris sacrificium humanum quoque quo in Lycaeo monte litabatur. neque ergo simplex est, sed e duobus elementis aeque antiquis olim conflata. quae vero apud Pausaniam legitur fabulae figura tantum sacrificium humanum Lycaoni auctori tribuit. et apparet scriptorem apud Pausaniam fabula vulgari uti non potuisse, quod supra dixerat Lycaonem Iovem Lycaeum nuncupasse i. e. Iovis Lycaei cultum instituisse. quam autem exhibet fabulam eam antiquam esse concedo neque tamen fabulam vulgarem inde manasse apertum est.

longius ab Ovidio discessimus et disputatio nostra per plurimas quaestiones vagata est. sed instituti eo minus me paenitet quod sentio de auctoritate Ovidi mythographi certo iudicio iudicari non posse, nisi singularum fabularum origine historia forma vulgari bene perceptis. cuius rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor, secutum esse prae me fero.

DE FABULA DAPHNES

quod supra de Lycaone quaesivimus utrum vulgarem fabulam suo arbitratu fusius narrando dilatare placuerit Ovidio an potius Graecum poema imitando expresserit, idem nunc considerabimus in fabula Daphnes (79). tanta enim hic praecipue est narrationis ubertas ut plurima poeta exornandi causa aut ipse invenisse aut aliunde transtulisse censendus sit.

primum omnium videamus omninone ulla attente legentibus sese offerant vestigia quae monstrent poetam hic alienum opus imitatum esse. equidem ne tenuissimum quidem vestigium invenio (80). hoc unum concedere queo: occurrere nonnulla argumentorum non quidem vim verum tamen speciem quandam habentia qualia fere in disquisitionibus huius generis auxilio arcessi solent ab iis maxime qui semper et ubique apud Ovidium poetas Alexandrinos odorari sibi videntur.

si quis dicat, ut hoc utar, in fabula Daphnes inesse quaedam pulcherrima ideoque non Ovidiana, mihi quidem non persuadeat. respondebo me poetam Latinum minus quam illum contemnere. nec quidquam prorsus me movet quod Knaackium quem honoris causa nomino in commentatione sua de Hero

---

(79) Metam. I. 416—566. Parth. Erot. XV Daphne. *ἡ ἱστορία παρὰ Διοδώρῳ τῷ Ἐλαίτῃ ἐν ἐλεγείαις καὶ Φυλάρχῳ ἐν ιέ.*

(80) quod Ovidius Callimachi versum imitatus est (Metam. I. 486 = Call. III. 6) huc non pertinet. immo vel inde concluseris eum poetico exemplari non usum esse.

et Leandro hanc ipsam quam ego vito viam insistere video: sic enim argumentatur: nequaquam veri simile esse poetam qui astronomiam et geographiam non probe calleat locos tam mirabiles tamque splendidos ipsum invenisse (81). itaque talia bene doctus sit poeta necesse erit qui iuvenem ad voluptatem per mare et pericula tendentem depingat vel pavidam puellam amantem suum opperientem? di meliora. rerum vis dicam? immo quam maxime Ovidium sapiunt huiusmodi loci qui amorem spirant non magnum illum quidem et purum et generosum, sed brevem et vementem quo vulgo capimur quotquot sumus sponsi Penelopae nebulones Alcinoique.

aeque nihil agat qui apud Ovidium colorem Alexandrinum alicubi sibi deprehendere visus statim de exemplo Alexandrino cogitet. quidni ingenium Ovidianum facile et colorem et totam verborum rerumque compositionem poetarum Alexandrinorum imitari poterat nullo certo adhibito exemplo? in contrariam vero partem qui disputat hoc saltem iis qui Ovidium semel iterumque legerunt, probare poterit reperiri nonnulla in fabula de Daphne quae procul

---

(81) Festgabe für Susemihl 1898. p. 50: es ist nun von vornherein unwahrscheinlich, dass der Dichter, mit dessen astronomischen und geographischen Kenntnissen es nicht zum besten bestellt ist, solche Glanzstellen aus eigener Kraft geschaffen hat.

agitur de Ov. Her. XVIII. 53—118. XIX. 7—28. 33—66, ubi nihil est quod ad caeli terraeve notitiam spectat. ceterum Knaackium cum plerisque viris doctis has epistulas spurias habere vix opus est monere. ego dubito αὐτός περ ἰὼν num recte Ovidio abiudicentur.

dubio ipsi debeantur. nisi forte aliquando etiam apud Graecos Ovidius quis extitit.

conferantur inprimis hi versus:

Metam. I. 497 spectat inornatos collo pendere capillos,
et: quid si comantur? ait. videt igne micantes
sideribus similes oculos; videt oscula quae non
est vidisse satis; laudat digitosque manusque
bracchiaque et nudos media plus parte lacertos;
si qua latent, meliora putat.

525 plura locuturum timido Peneia cursu
fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit.
tum quoque visa decens. nudabant corpora venti
obviaque adversas vibrabant flamina vestes
et levis impulsos retro dabat aura capillos
auctaque forma fuga est (82).

praeterea nota in versibus proxime sequentibus comparationem Apollinis cum Gallico cane et paulo infra (83) locum illum ubi de triumpho Romano deque Palatina lauro agitur.

rationibus subductis colligimus neutiquam esse cur Ovidium Graecum poema vernacula lingua expressisse arbitremur.

---

(82) cum vs. 527 hi versus componi possunt:
Am. III. 7. 82 *et decuit nudos proripuisse pedes.*
Metam. IV. 230 *ipse timor decuit*
330 *sed et erubuisse decebat*
VII. 733 *dolor ipse decebat*
X. 590 *cursus facit ipse decorem*
Fast. V. 608 *timor ipse novi causa decoris erat.*
sed huiusmodi comparationibus paene nihil efficitur, siquidem unus e vvs. laudatis legitur Fast. V. 608, ubi Ovidius Moschi versus imitatur.

(83) Metam. I. 559.

quin etiam e fabula Daphnes argumentum peti potest quo poetam mythographum secutum esse ostendatur. scilicet quam Maassius (84) de Metam. I. 543 sqq. tractavit quaestionem, me quidem iudice post multorum irritos labores profligavit; cumque ipse inde aliquid de fonte Ovidi concludere posse mihi videar, non me pigebit ipsis Maassi verbis exscriptis ostendere quanam ille ratione controversiam disceptarit:

„codex Marcianus vv. 543—552 ita propagavit:

543 viribus absumptis expalluit illa citaeque
544 victa labore fugae, Tellus, ait, hisce vel istam,
547 qua nimium placui, mutando perde figuram.
548 vix prece finita torpor gravis occupat artus etc.

ad hemistichium alterum vs. 544 in rasura a M^1 scriptum hanc lectionis varietatem M^2 adnotavit: *spectans Peneidos undas*; qua substituta structura grammatica laboraret. itaque non omnem discrepantiam M^2 addidisse e codice suo videtur (contra M^3 ita scribi haec voluit:

fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis.
quae facit ut laedar, mutando perde figuram.)

utrumque codicibus Amploniano et Laurentiano exhibetur, verum non pro varia scriptura enotatum

---

(84) ind. lect. Gryphisw. 1886—87 p. XX. cf. R. Helm: de metamorphoseon Ovidianarum locis duplici recensione servatis (Festschrift für J. Vahlen) p. 338 sqq.

sed in textum male insertum. et Laurentianus quidem ita:

victa labore fugae, Tellus, ait, hisce vel istam
quae facit ut laedar mutando perde figuram,
qua nimium placui spectansque Peneidos undas
fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis.

similem contaminandi rationem Amplonianus liber prodidit:

victa labore fugae spectans Peneidos undas
fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis.
qua nimium placui, Tellus, ait, hisce vel istam,
quae facit ut laedar, mutando perde figuram.

utrumque numen intercessisse inepta cogitatio est.“ quid multa? vidit Maassius et coniecturis parcendum esse neque eam medelam requiri ut superflua reciderentur, immo ipsum poetam bis locum tractasse, semel Peneo, semel Tellure invocata. scripserit igitur et hos versus quos restituit Hauptius:

victa labore fugae spectans Peneidas undas
fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis;
qua nimium placui, mutando perde figuram.

et hos quos elicuit Maassius:

victa labore fugae, Tellus, ait, hisce vel istam
quae facit ut laedar, mutando perde figuram.

dubium est sintne hemistichia *qua nimium placui* atque *quae facit ut laedar* sic recte collocata an permutanda inter se. sed hoc nihil ad rem. constat

Ovidium locum retractasse. causam vero cur versus non interierint eam fuisse perspexit Maassius quod Ovidius Metamorphoseon libros non ipse ediderit, editor contaminando quam plurima servarit. quid autem Ovidium in eam mentem impulit ut locum bis scriberet et variaret? si Maassium audis, in altero Metamorphoseon exemplari scribendo occupatus illud de Peneo de suo novavit, quo artius cohaerentem efficeret narrationem, quoniam scilicet Daphne Peneum patrem adiisset precibus Callimacheis:

486 da mihi perpetua, genitor carissime, dixit,
virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianae.

explicatio non valde probabilis. malo equidem statuere Ovidium utrosque versus simul scripsisse, ut postmodo eligeret utra forma sibi magis placuisset (85). quod autem Daphnen hic Peneum, illic Tellurem invocantem fecit, optime explicatur per usum libri mythographi cuiusdam quo scriptum erat Daphnen aliis Penei, aliis Ladonis et Telluris filiam fuisse (86). nam talia certe Ovidius memoria non tenuerit.

Ovidium igitur Daphnes fabulam a mythographo mutuatum esse credendum est. ceterum operae pretium est paucis disputare de nexu quo hanc fabulam copulavit cum praecedenti de Pythone.

---

(85) Parthenius Erot. XV praebet fabulae figuram qua Daphne Iovem precibus invocat.

(86) Daphne Penei filia est Hyg. fab. 203, Ladonis Paus. VIII. 20, X. 7. 8, Ladonis et Telluris Liban. fab. 11. p. 1102. Nonn. ad Gregor. Westerm. Mythogr. p. 366. Tzetz. schol. ad Lyc. 6.

postquam diluvio animalia omnia perierunt, tellus

> I. 436 edidit innumeras species partimque figuras
> rettulit antiquas partim nova monstra creavit:
> illa quidem nollet, sed te quoque maxime Python
> tum genuit.

Pythone telis confosso Apollo Pythios ludos instituit; victores autem aesculea corona donabantur; nam laurus nondum erat. sic callide transit ad fabulam Daphnes. manifestum autem est, cum utrumque facinus vulgo Apollini iuveni tribuatur, fabulam de Pythone ab Apolline occiso iam in mythographorum libris cum fabula Daphnes cohaesisse. quos secutus etiam Ovidius deum et in fabula Pythonis paene puerum fecit:

> I. 441 hunc deus arcitenens et numquam talibus armis
> ante nisi in dammis capreisque fugacibus usus...
> perdidit

et in fabula Daphnes vix puberem induxit:

> I. 452 primus amor Phoebi Daphne Peneia.

bibliotheca Apollodori autem Apollinem modo natum Delphos venisse narrat et Pythonem occidisse, Daphnes fabula omissa. hypothesis vero Pindari Pythiorum quam ex eodem fonte fluxisse suspicor maxime propter consensum de parentibus Panis (87),

---

(87) bibl. Apoll. I. 22. *Ἀπόλλων δὲ τὴν μαντικὴν μαθὼν παρὰ Πανὸς τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως ἧκεν εἰς Δελφούς.*

hypoth. Pind. Pyth. Boeckh II. 1. p. 297: *ἔμαθε δὲ καὶ τὴν μαν-*

fabula de Pythone occiso similiter exposita, addit Apollinem Pythiis propter victoriam partam conditis victores lauro coronasse.

ceterum Ovidium ambas fabulas apud mythographos coniunctas legisse vel idcirco probabile est quod alteram (de Pythone), nisi alterius appendix fuisset, vix ac ne vix quidem in ordinem recepisset. quid enim ad rem? nulla inest metamorphosis.

denique haec quoque quaestio oritur quid tandem poetam permoverit ut a diluvio ad Pythonem et Daphnen transitum faceret. nam illud quivis unus sponte intelleget nexum quo usus est, ut scilicet Pythonem inter animalia fuisse scriberet quae Terra peperisset post diluvium, ipsi deberi: quamquam Pythonem filium Telluris esse etiam ex Hygino (88) notum est. at quomodo fabulas tam diversas inter se cohaerere dicamus? si me audis, nullo prorsus vinculo coniunctae fuerunt. sin quaerimus quae causa Ovidium impulerit ut hoc potissimum ordine fabulas suas exponeret, animadvertendum est in fabula de diluvio Delphos commemorari et oraculum Delphicum: et Pythonem Delphis occidi. fieri potest ut cum in fabula de diluvio scripsisset, sicut et acceperat, Themin Delphis Deucalioni et Pyrrhae sortem dedisse, miratus cur non Apollini hoc munus tribueretur, de prisca Delphici oraculi historia mythographum

---

τικὴν τέχνην ὑπὸ τοῦ Πανός. et paulo supra: *ἑπταφθόγγον δὲ αὐτὴν ἐποίησεν* (sc. *την χέλυν ᾿Απόλλων*) *ἁρμοσάμενος πρὸς τὴν τοῦ Πανὸς σύριγγα οὐ τοῦ Ἑρμοῦ καὶ Πηνελόπης, ἀλλὰ τοῦ Διὸς καὶ Θύμβρεως.*
qui vulgo parentes Panis esse ferantur, v. apud Münzelium quaest. mythogr. p. 10 sqq.

(88) fab. 140.

inspexerit. ubi cum repperisset fere quae etiam in bibliotheca Apollodori (89) et hypothesi Pythicorum leguntur, hinc fortasse Pythonem et Daphnen delibavit.

coniecturam hanc esse candide fateor. neque tamen coniecturam fecisse me pudet. non enim, si quid quaque de re certi habeamus quam maxime scire cupimus, eiusmodi quaestiones minutiores ac subdifficiliores cunctas caute effugere licet. neque indigna talia habeo quae scrutemur, siquidem ut recte definiamus quae fabulae apud mythographos coniunctae fuerint, utique primum omnium quos nexus ipse poeta invenerit critica arte secernamus necesse est.

DE FABVLA PHAETHONTIS

Phaethontis fabulae, ut narratur apud Ovidium (90), poema subesse aetatis Alexandrinae et hac et aliorum subsidiorum ope reconcinnandum primus iudicavit Wilamowitzius (91). quem verum vidisse triennio post idoneis rationibus demonstravit Knaackius (92)

---

(89) I. 22.

(90) Metam. I. 747 — II. 400.

(91) Herm. 1883. p. 396.

(92) Quaestiones Phaethonteae. Philologische Untersuchungen. VIII. Berlin 1886. cf. Herm. 1887 p. 637 sqq. Knaack: zur Phaethonsage.

argumentis tum e Luciano Sulpicio Maximo Philostrato sarcophagis nonnullis (93) tum maxime e Nonni versibus repetitis cum Ovidianis plus semel consentientibus. itaque quod in hac quaestione caput habendum est, id iamdudum positum est extra controversiam: de singulis rebus ambigi potest. at primum omnium indicium afferre mihi liceat, quo Knaacki sententia de fonte communi Ovidi et Nonni confirmetur. quamquam confirmatione non eget.

Nonnus caelum in septem zonas, non ut olim solebant, in quinque cum alibi passim describit:

Dion. I.	145	*πόλος ἑπτάζωνος*
V.	65	*οὐρανὸν ἑπτάζωνον*
VI.	334	*ζώνῃ δ' ἑβδομάτῃ*

tum in fabula Phaethontis identidem hac divisione utitur:

Dion. XXXVIII.	115	*αἰθέρος ἑπτάζωνον ἴτυν*
	229	*ζώνης ἑβδομάτης*
	312	*ἑπτὰ περὶ ζώναις*
	381	*οὐρανὸν ἑπτάζωνον*

---

(93) monumentis accessit forma musei Bostoniensis e figulinis Aretinis, de qua cfr. Hartwigius Philol. 1899 p. 481 sqq. qui probabiliter statuit formam Ovidi fere aetate factam esse, exemplar autem fuisse opus caelatum aetatis hellenisticae. conspicitur Phaethon terrae afflictus, Iuppiter fulmine, Diana sagittis armata, Tethys (v. Valer. Flacc. V. 431) rotas dispersas, Sol equos amentes colligens, Heliades in arbores mutatae. utrum ea quae forma Aretina plura habet quam Ovidius et Nonnus, quibuscum mire consentit, debeantur communi fonti Alexandrino necne diiudicare non possumus.

verum tamen uno loco quo quidem Nonnus cum Ovidio congruit, ecce repente quinque zonae:

XXXVIII. 257

μηδὲ τανυπλέκτων ἑλίκων πολυκαμπέι δεσμῷ
πέντε παραλλήλων δεδοκημένος ἄντυγα κύκλων
οἶστρον ἔχοις καὶ νύσσαν ὁμηθέα πατρὸς ἐάσῃς.

cf. Metam. II. 129:

neu tibi directos placeat via quinque per arcus.

nonne incurrit in oculos ex epyllio Alexandrino antiquum illum zonarum numerum a poeta in carmen translatum esse?

nunc illud ante omnia examinemus utrum solum Phaethontis fatum epyllio comprehensum fuisse probabile sit an potius existimemus narrationem Ovidianam usque ad vs. 400 omnem ex eodem fonte fluxisse. apud Ovidium tenor rerum hic est: Phaethontem, ubi fulmine ictus in Eridanum decidit (94), tumulo condunt Naides Hesperiae — pater enim prae maerore pio officio defuit — et epigramma quoddam inscribunt in busto eius. quo reperto, mater Clymene quae carissimi fili desiderio capta totum orbem terrarum peragraverat tandem requiescit. deinde sequuntur metamorphoses Heliadum et Cycni. postremum poeta redit ad Phoebum qui vix tandem precibus deorum omnium permovetur ut equos amentes colligat atque verberibus cogat in pristina mini-

(94) Metam. II. 324.

steria. hactenus autem cecinisse Alexandrinum poetam quominus statuamus quid obstat? aptissimum hunc equidem finem epylli esse reor. sin aliter, quomodo explanare possis Ovidium metamorphoseon expositione absoluta iterum ad Solem redire? admodum difficile est videre cur sine certa quadam causa ita fecisset nulloque exemplo invitatus. sed in singula inquirendum est.

scribit Knaackius (95) se non habere quo querelas Clymenes referat testatus earum apud Nonnum ceterosque scriptores quos supra laudavi nulla apparere vestigia. at mea quidem sententia Ovidium hoc loco fontem poeticum contraxisse patet e vs. 333 sq.:

> at Clymene postquam dixit quaecumque fuerunt
> in tantis dicenda malis,

collatis cum Metam. IV. 251:

> multaque praequestus: tanges tamen aethera, dixit,

nam hic quoque poema Alexandrinum de Solis cum Leucothoe Clytieque amoribus subesse viderunt Mannhardtius (96) et Crusius (97); utrobique enim poeta longas querimonias ita omittere videtur ut tamen oblique et subobscure significet se eas legisse (98).

---

(95) l. l. p. 45.

(96) Klytia. Berlin. 1875. p. 16.

(97) Ersch und Gruber, allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste, s. v. Klytia (1885).

(98) cf. etiam Metam. XIII. 480 sqq., ubi Polyxenes narratur sacrificium:

plane eodem modo iudicandum esse videtur de versibus fabulae de Phaethonte paene ultimis:

II 396 missos quoque Iuppiter ignes
excusat precibusque minas regaliter addit (99).

atque haec quidem hactenus. accedamus ad metamorphoses. Heliades apud poetam Alexandrinum mutatas fuisse probabile est, cum etiam Nonnus quamquam non nisi Phaethontis ausa narraturus tamen in fine tribus versibus Heliades in arbores abiisse doceat (100). restat una Cycni metamorphosis. hanc Knaackius non e fonte communi Nonni atque Ovidi provenisse putat, sed e Phanocle quem amores Cycni et Phaethontis tractasse testatur Lactantius his verbis argumento fabulae subiunctis: „sic Phanocles in Cupidinibus". vide tamen ne inde audacius effecerit Knaackius (101) Phanoclem Ovidi auctorem fuisse. Lactanti enim adnotatio docet hanc fabulam extitisse apud Phanoclem, nihil ultra. atque fieri sane potest, ut Phanocles in fabula de Cycno fons fuerit poetae Alexandrini ex quo pendeat Ovidius, ipsum vero Ovidium Phanoclem adhibuisse nemo

---

Troades excipiunt deploratosque recensent
Priamidas et quid dederit domus una cruoris
teque gemunt, virgo, teque o modo regia coniunx
regia dicta parens, Asiae florentis imago etc.

et inprimis vs. 492: (Hecuba)

plura quidem, sed et haec laniato pectore dixit.

(99) v. Knaack l. l. p. 47 sq.
(100) Dion. XXXVIII. 432 sqq.
(101) l. l. p. 63.

adhuc demonstravit (102). ceterum nolo committere ut quam ego reicio sententiam Knaackio obtrudere

---

(102) certe locus quem Knaackius Santenium auctorem secutus ad hanc sententiam probandam attulit rem non secat. scilicet composuit Metam. X. 83:

ille etiam (sc. Orpheus) *Thracum populis fuit auctor amorem*
in teneros transferre mares,

cum Stob. Flor. LXIV. 14. 9. *Φανοκλέους·*

(Orpheus) *πρῶτος δεῖξεν ἐνὶ Θρήκεσσιν ἔρωτας*
ἄρρενας.

qualis enim hic est verborum concentus? nonnisi fortuitam quandam vocabulorum similitudinem conspicere mihi videor, quales sexcenties oriuntur, sicubi bini homines eadem propriis verbis efferunt. rei autem apud utrumque scriptorem commemoratae consensus quid probat? quid est cur Phanoclem hoc invenisse vel Ovidium hoc a Phanocle accepisse credamus? quamquam minime nego fieri posse ut verum divinarit Santenius, cum Phanoclis poema de Orpheo clarissimum fuerit.

libet hoc loco afferre ea quae Samson Eitrem ad Cycni fabulam adnotavit Philol. 1899 p. 462: „Ovidius in Cycni fabula fontes commiscet vel potius in unum conflat; duas enim causas profert luctus Cycni (368 sq.): *qui tibi materno quamvis a sanguine iunctus mente tamen, Phaethon, propior fuit.* Verg. quidem (Aen. X. 189 sq.) cum schol. ad l. Cycnum amatorem Phaethontis perhibet Phanoclem secutus quem Ov. quoque auctorem potiorem habet, Hyg. vero (f. 154) sic tradit: *Cycnus rex Liguriae qui fuit Phaethonti propinquus, dum deflet propinquum, in cygnum conversus est.*"

ipsum Ovidium fontes commiscere veri dissimile est. quid igitur? concludamusne necesse est Ovidium e mythographo pendere simili scilicet ratione usi, quam supra in Daphnes fabula secuti sumus? equidem fateor me aliquamdiu in hac quaestione haesisse, sed felici casu dubitationem mihi exemerunt ipsa Eitremi verba: „neque tamen video quomodo Phaethontis in Aegypto versantis amator rex Liguriae esse potuerit." quid censes? nonne mecum credis poetam, qui Cycnum Phaethontis amore capi vellet, finxisse eum Clymenes propinquum fuisse ut regem Liguriae cum adulescentulo congredientem faceret?

videar invito, quippe qui scripserit discerni non posse ipsene Ovidius Phanoclem legerit, quod sibi quidem parum probabile visum sit (103). quomodo igitur fontium cognationem animo cogitavit? putat syntagma Ovidio praesto fuisse a nescio quo mythographo conditum qui Euripidis et poetae Alexandrini et Phanoclis commenta contaminarit (104), praeterea Ovidium ipsum poema Alexandrinum evolvisse. equidem huc usque tantum imitationem poetae Alexandrini notavi. sed contra Knaackium nunc disputare supersedere liceat. spero enim fore ut, cum sicut modo de fine, ita nunc de initio narrationis Ovidianae quaesiverimus, iam appareat quid rei sit.

gravissima hic Ovidium inter et Nonnum rerum discrepantia est. hic enim Solem uxorem duxisse facit Clymenen filiam Oceani, ex qua Phaethon natus, ubi adoleverit, patrem precibus induxerit, ut sibi currus regendi copiam faceret. illi vero Phaethon est filius Solis et Clymenes uxoris Meropis regis Aethiopum, qui ad patris aedes profectus ideo benefici loco et gratiae ut Solis vice fungatur postulat ut certissimo indicio originem suam caelestem a suspicione vindicet. assentior Knaackio Nonnum genuinam carminis Alexandrini conformationem servare, apud Ovidium contaminatam esse. quod Knaackius (105) luculenter ostendit Luciani loco adhibito (106) qui cum Nonno tam fideliter concordat ut iam constet in

(103) l. l. p. 67.
(104) l. l. p. 68.
(105) l. l. p. 24.
(106) dial. deorum XXV.

epyllio Alexandrino Meropis nullas fuisse partes. accuratius tamen investigandum est ex quo fonte fluxerit Ovidianae fabulae pars prior. imitationem Euripideam odoratus est Knaackius (107) I. 767 sqq. ubi Clymene:

per iubar hoc, inquit, radiis insigne coruscis,
nate, tibi iuro, quod nos auditque videtque,
hoc te quem spectas, hoc te qui temperat orbem
Sole satum. si ficta loquor, neget ipse videndum
se mihi sitque oculis lux ista novissima nostris.
nec longus patrios labor est tibi nosse Penates:
unde oritur domus est terrae contermina nostrae.
si modo fert animus, gradere et scitabere ab ipso.

sed inspecto Euripidis fragmento 775, quod conferri iubet:

ΚΛ. μνησθεὶς ὅ μοί ποτ᾽ εἶφ᾽ ὅτ᾽ εὐνάσθη θεός
αὐτοῦ τι χρῄζεις ἕν· πέρα γὰρ οὐ θέμις
λαβεῖν σε· κἂν μεν τυγχάνῃς ὅ(του θέλῃς),
θεοῦ πέφυκας· εἰ δὲ μή, ψευδὴς ἐγώ.

ΦΑ. πῶς οὖν πρόσειμι δῶμα θερμὸν Ἡλίου;

ΚΛ. κείνῳ μελήσει σῶμα μὴ βλάπτειν τὸ σόν.

ΦΑ. εἴπερ πατὴρ πέφυκεν· οὐ κακῶς λέγεις.

ΚΛ. σάφ᾽ ἴσθι· πεύσει δ᾽ αὐτὸ τῷ χρόνῳ σαφῶς,

ne talem quidem imitationem inveni qualem expectaris, si cum Knaackio (108) statuas Ovidium Euripidis Phaethontem non legisse. sed fortasse ex ipso

(107) l. l. p. 23.
(108) l. l. p. 67.

Ovidio aliquid elici poterit. ordine proferam quae observavi.

iam Odofredus Müller (109) vidit Ovidio deberi introitum fabulae quo cum fabula Ius per Epaphi convicia conectitur. verum tamen poetam ordinem fabularum traditum accepisse, ut credam facit Hyginus apud quem Epaphi fabulam (110) fabula Phaethontis (111) proxime sequitur.

initio libri II describuntur regiae Solis fores illae caelatae. ad haec Knaackius hoc modo (112): „(Phaethontem) ad Solis aedes initio secundi libri copiose descriptas *adclivo limite* (19) venisse comperimus. in summone monte fuerunt? at qualia ectypa valvis aedium insculpta:

caeruleos habet unda deos, Tritona canorum
Proteaque ambiguum balaenarumque prementem
Aegaeona suis immania terga lacertis
Doridaque et natas quarum pars nare videntur,
pars in mole sedens virides siccare capillos e. q. s.

profecto magis quadrantia in aedes marinas. quid quod Tethys ipsa dea marina repagula equis fervidis repellit? cui parum aptum esse locum in arce Solis recte sensit Hauptius (ad 156). itaque ni fallor duas domus Solis Naso permiscuit, quarum alteram in monte positam forsitan ex Euripide retinuerit, alterius — ut est apud Nonnum — simul memor."

---

(109) proleg. zu einer wissenschaftl. Mythologie p. 92.
(110) fab. 149 sq.
(111) fab. 152 sq.
(112) l. l. p. 28 sq.

fallor, an non plane sibi constat Knaackius? quem modo laudavimus censentem Ovidium non legisse Euripidem, sed syntagma quoddam, ad quod perficiendum et Euripides et poeta Alexandrinus assumpti essent. itaque ex ipso Knaackio sententia Knaacki eatenus emendanda est ut quae de Ovidio regias permiscente dicuntur, de mythographo isto ignoto dicta oportuerit. sed hoc mittamus. nobis tum demum Knaackio astipulari liceret, si certo constaret Ovidium verba quae sunt *adclivo limite* e fonte suo transtulisse. cui suspicioni nullus locus est, nam semper poetae cordi fuit minutiora diligenter effingendo atque excogitando rebus quas sub oculos subiceret quasi maiorem fidem conciliare. neque Vulcanus solum mare deasque marinas valvis insculpserat, sed praeterea caelum orbem terrarum urbes silvas feras flumina nymphas numina ruris signa zodiaci. non est igitur cur aedes marinas cum arce Solis in unam regiam coaluisse censeas.

transeo ad descriptionem aulae Phoebi. Knaacki (113) sententia qua Ovidium quaecumque de coetu Horarum habet, auctori Alexandrino debere dicit, universe quidem probari potest, cum Alexandrinis talium rerum inventiones perplacuisse videamus. modo ne cogitemus de certo auctore quem Ovidius hoc loco imitatus sit.

iusiurandum Solis (114), quo se obstringit quodvis munus filio se daturum esse, alienum est a carmine

---

(113) l. l. p. 29.

(114) Metam. II. 45.

Alexandrino. sed ex Euripide Ovidium hoc retinuisse ne credideris (115).

itaque in prima parte narrationis Ovidianae fontis poetici nec vola nec vestigium apparet; fontis mythographici unum extat indicium evidentissimum. etenim Phaethon rogat currus paternos:

II. 48 *inque diem* alipedum ius et moderamen equorum.

hoc non petitum esse e poemate Alexandrino demonstrant vs. 80 sqq. ubi Phoebus filium signa zodiaci cavere iubet, quasi annuum iter esset facturus. at socordiae hominis aliquid dandum est. non nego. sed collato Diodoro (116), apud quem Phaethon currus paternos μίαν ἡμέραν obtinet, et scholio ad Odysseae ρ 208 (117), quivis unus perspiciet Ovidium suum *in diem* non imprudentem adiecisse sed transtulisse e narratione mythographi cuiusdam (118).

---

(115) Knaack l. l. p. 28.

(116) V. 23. 2.

(117) ἐπ' ὀλίγον.

(118) graviter errare mihi videtur Iulius Höpken narrationem Ovidianam adulteratam esse ratus a duobus viris, quorum alterum correctorem, alterum interpolatorem appellat (Programm Emden 1899: die Fahrt des Phaethon. Ovid, Metam. II. 1—400). e quadringentis enim versibus centum et nonaginta uno sublatis, reliquis vero pro virili parte coniecturis persanatis scilicet, sic demum poema Ovidianum in pristinum statum se restituisse arbitratur. contendit autem Ovidium probe cognitum habuisse et descripsisse caelum homericum quale Crates id esse voluerit i. e. quale revera fuerit saec. XIV a. C. n. (p. 23), correctorem autem post Ptolemaei geographi aetatem vixisse eumque id egisse ut caelum ad aetatem Ovidi accommodaret, interpolatori

ex quo fabulae priorem partem hausit totam usque ad vs. 63, ubi Phoebus iuvenem admonere coepit de viae periculis. nimirum ieiunam narrationem exornavit, ornamenta vero huius partis ipsi tribuere malo quam scriptori Alexandrino, qui forsitan in di-

---

denique cordi fuisse ut viam, quae Phaethonti tenenda fuisset, circulum lacteum fuisse ostenderet.

ea omnia qui consideret quam inconsulto ac temere a scriptore ponantur, satis habere potest argumenta quaedam notare, quibus reiectis totum aedificium tamquam fundamentis sublatis necessario corruet. verum hoc paulo post; age primum nunc videamus de capite quaestionis.

quis tandem inter Romanorum antiquitatis cultores serio credat poema Ovidi in hunc modum corrumpi potuisse? quippe non agimus de vetere aliquo carmine epico, verum de lucubrationibus vatis Augusti aequalis cuius versus in vulgus noti erant. quinam bibliopolae fabulam notissimam grammaticorum opera bis prorsus immutatam atque pessumdatam edendam susceperint? quive grammatici incubuerint in studia tam illiberalia? quos etiam egregie calluisse oportuisset artem sermonemque Ovidianum, siquidem nihil inest in tota fabula quod discrepet a consuetudine scribendi ingeniove peritissimi versuum pangendorum artificis. haec tamen Hoepkenus sibi probavit. quae cum per se perspicue falsa sint, tum falsissimis nituntur argumentis. quorum ecce aliquot exempla et primo quidem loco vitia quaedam interpretationis.

narrat Ovidius (II. 40 sq.) Solem ut filium amplecteretur radios circum caput deposuisse, scilicet quod nimius splendor Phaethonti impedimento fuisset, quominus propius accederet. at Hoepkenus sumit hoc loco significari solis occasum. quid si ego dico iamdudum noctem fuisse, cum Sol non curru veheretur, sed domi sederet? talia apud Ovidium non sunt urguenda.

monet etiam Hoepkenus regiam Solis esse imaginem solis occidentis. quod ut apte convenienterque demonstret, sumit terrarum orbem significare finientem, cum orbis terrarum et alias idem sit quod terra et hoc loco sensus communis poscatur; opponitur enim aequoribus et caelo.

versa fabulae figura regiam aulamque Solis omnino non depinxerit. reliqua omnia Ovidium missis subsidiis mythographicis mutuatum esse concedo a poeta quodam Alexandrino e praestantioribus.

---

vs. 64 sqq. Sol Phaethonta diligenter iter docet:

ardua prima via est . . .
media est altissima caelo . . .
ultima prona via est . . .

putat Hoepkenus (p. 4 et 14) medio caelo designari id punctum caeli quod revera medium esse harum rerum iudices evincunt quodque hodie zenith dicimus. sol autem in hoc puncto caeli consistit meridie a. d. XI Kal. Iul. benigne quidem concedit Hoepkenus, ne nimis accurate ac stricte diem definiamus, quo Phaethon currum paternum conscenderit, etiam de diebus proximi mensis, quibus sol a medio caelo meridie haud multum absit, cogitari posse. contra ratio ipsa declarat Ovidium mediam dicere eam caeli partem, quae ab ortu et occasu aeque distet.

hactenus de interpretatione. gravius illud est ad quod nunc accedo. evolvit Hoepkenus Knaacki Quaestiones Phaethonteas, quas laudavit p. 7. n. 7. evolvit, inquam, sed non perlegit; nisi vero tacite damnavit. quo factum est ut reicere non reformidarit versus complures, quos in poemate Alexandrino fuisse documento sunt versus Nonni consimiles:

Metam. II	129	cf. Nonn. XXXVIII.	257 sqq.
	130		225
	171 sq.		408 sqq.
	296		332 sq.
	299		344

neque igitur adeo mirum est, si etiam alio loco Nonni testimonium sprevit (p. 7. n. 7), apud quem XXXVIII. 342 τοξευτήρ respondet Ovidianis arcibus Haemoniis (II. 81). quid quod his significari Anguitenentem sibi persuasit, quod *orbes* anguis *arcus* dici possint?

errat denique Hoepkenus hac quoque in re, quod in opere tam vario tamque vasto poetae nullam omnino discrepantiam, nullum anachronismum quem hodie dicimus dari posse credit.

haec habebam quae de Phaethontis fabula apud Ovidium dicerem. iam quaerendum est quaenam fabulae, qualem Ovidio exhibebat mythographus, indoles sit atque origo. itaque quandoquidem ipsa res ita fert, subiungere libet quae mihi in mentem venerunt, cum legerem libri Knaacki caput primum, quo agit de Phaethonte Hesiodeo.

mea quidem opinione Carolus Robert (119) recte vidit scholiasten Strozzianum in Germanicum fabulam Phaethontis hausisse ex Hygini fabularum libro. Knaackius vero Roberti sententia reiecta censet utrumque scriptorem e Pseudo-Eratosthene i. e. scholiis Arateis fabulam hausisse. operae pretium est Roberti sententiam novo argumento firmare. neque id difficile est: legitur apud Hyginum (120):

„sorores autem Phaethontis dum interitum deflent fratris in arbores sunt populos versae. harum lacrimae, ut Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae; Heliades tamen nominantur. sunt autem Merope Helie Aegle Lampetie Phoebe Aetherie Dioxippe.“

---

velut Metam. I. 168 sq. utitur ad illustrandam Ovidi sententiam de lacteo orbe deque situ palati Iovis (p. 14). damnat autem vs. 171 sq.:

tum primum radiis gelidi caluere triones
et vetito frustra temptarunt aequore tingui,

propterea quod Ovidius demum II. 505 sqq. exponat hoc sidus caelo impositum et aquis prohibitum esse (p. 16). quae ratio si probaretur, etiam Anguitenentem suum eum damnasse oportuit, quandoquidem Aesculapius nascitur demum Metam. II. 628 sqq.

(119) Eratosth. catast. rell. p. 210.

(120) fab. 154.

perspicuum est verba „Heliades tamen nominantur" inscite conversa esse e Graecis: *καλοῦνται δὲ Ἡλιάδες*, perperamque cum praecedentibus coniuncta. nam si ad grammaticam rationem attendis, significare videntur non sorores Phaethontis, sed earum lacrimas Heliades appellatas esse. atque ita revera intellexit scholiasta Strozzianus (121), quem idcirco Hyginum excerpsisse constare inter omnes debebat:

„sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos versae fuisse, lacrimae quoque earum in electrum duratae dicuntur Heliadesque appellatae, ipsae autem nomina habuisse Merope Helie Aegle Lampetie Phoebe Aetherie Dioxippe."

ergo testimonium scholiastae Strozziani abiciendum est.

quid autem Hyginus? non unam fabulae conformationem habet, ut asseverat Robertus (122), sed duas quarum altera (123) ignoti cuiusdam scriptoris lusus ingeni est, altera (124) cum mythographo Ovidi consentit. quod si recte observavimus, in scriptorem illius fabulae non ita invehendum est ut omnia portentosa ac perversissima esse dicamus aut id quod maxime a vulgari fabula abhorret tamquam absurdissimas interpolatoris nugas eiciamus (125). poeta enim suo iure finxit quae fingere ipsi collibuit:

---

(121) Breysig p. 174. 13 sqq.
(122) Herm. 1883 p. 435.
(123) fab. 152 b.
(124) fab. 154.
(125) v. Robert l. l. Knaack l. l. p. 3.

„Phaethon Solis et Clymenes filius cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. hunc (sc. Eridanum) Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Iovis ut omne genus mortalium cum caussa interficeret, simulavit se id velle extinguere. amnes undique irrigavit omneque genus mortalium interiit praeter Pyrrham et Deucalionem. at sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt."

verba: „ut omne genus — extinguere" damnantur iniuria, opinor, nam etiam scholiasta Strozzianus haec legit, nisi quod in brevius contraxit: omnia ardere coepisse caussaque (i. e. per causam, *κατὰ πρόφασιν*) extinguendi amnes immissos esse.

Hygini fabulam 154 quae inscripta est Phaethon Hesiodi, si errores nominum (126) corrigas, conicio veram imaginem fabulae Hesiodeae referre. nam ut inscriptio fabulae apud Hyginum nullius momenti sit, tamen consensus cum fonte mythographico Ovidi ostendit hanc fabulam vulgarem fuisse. fabula vulgaris autem dissidet ab Euripidea, ubi duae fabulae de duobus Phaethontibus, ut ostendit Wilamowitzius (127), in unum coaluerunt. at Meropem (128) credat aliquis ab Euripide inventum esse (129). cur tan-

---

(126) Clymeni Solis filius et Meropes nymphae filius.

(127) Herm. 1883 p. 396 sqq.

(128) Wilamowitz Herm. 1883 p. 431. es ist ganz ungewiss, woher Euripides Merops nahm, und doch nicht gerathen, die Erfindung dieser Person einfach auf seine Rechnung zu setzen.

(129) i. e. hominem mortalem cui paelex dei tradiderat.

dem? itemne ex Euripide pendeat scholiastes Odysseae (130) qui dicit, postquam de Clymene Minyae filia sermo fuit: *ἔνιοι δὲ αὐτὴν τὴν Κλυμένην προγαμηθῆναί φασιν Ἡλίῳ* (i. e. hanc illam fuisse Clymenen quae priusquam Meropi nuberet, Soli nupsisset) *ἐξ ἧς Φαέθων ἐγένετο παῖς*?

summa summarum haec nobis erit: de Merope siquidem nusquam diserte traditum est, ubi primum comparuerit, de Hesiodo aut Aeschylo aut Euripide cogitari potest. atqui Merops est maritus Clymenes in fabula vulgari quae aeque distat a tragoedia Euripidis atque ab epyllio illo Alexandrino. nonne ergo aliquanto probabilius Hesiodo quam Aeschylo assignabitur? ceterum in quaestione tam lubrica valeat arbitrium eorum qui acutius cernunt et sciunt meliora.

DE EUROPAE ET CADMI FABULA

narrationis suae de Europa et Cadmo (131) utrum poetica ornamenta ipse invenerit an tradita acceperit Ovidius, ne eum quidem qui tum Romani poetae ingeni stilique proprietates tum Graecorum poesin universam Ovidio antiquiorem penitus mente perceperit, auribus recte diiudicare posse arbitror. quapropter rationis potius momentis quid rei sit definire

---

(130) ad Od. λ 235.

(131) Metam. II. 833 — III. 137.

conabor. ultimis verbis Metamorphoseon libri II detegitur imitatio epylli Moschi de raptu Europae:

873 pavet haec litusque ablata relictum
respicit et dextra cornum tenet, altera dorso
imposita est; tremulae sinuantur flamine vestes.

cf. Moschi Europa:

125 *ἣ δ᾽ ἄρ᾽ ἐφεζομένη Ζηνὸς βοέοις ἐπὶ νώτοις*
τῇ μὲν ἔχεν ταύρου δολιχὸν κέρας, ἐν χερὶ δ᾽ ἄλλῃ
εἴρυε πορφυρέην στολμοῦ πτύχα, ὄφρα κε μή μιν
δεύοι ἐφελκόμενον πολιῆς ἁλὸς ἄσπετον ὕδωρ.
κολπώθη δ᾽ ἀνέμοισι πέπλος βαθὺς Εὐρωπείης
ἱστίον οἷά τε νηός, ἐλαφρίζεσκε δὲ κούρην.

nimirum uterque poeta Europam describit qualis pingi solebat. sed nihilo minus apparet Ovidium novisse Europam Moschi, carmen celeberrimum. attamen hoc uno quem laudabam loco excepto — quem locum Lucianum (132) quoque et Nonnum (133) indidem mutuatos esse apparet, eum epyllion Graecum imitatum esse mihi quidem non liquet. nam quod Ahrensius in commentario editionis suae Moschi versus complures cum Ovidianis composuit, forsitan quispiam praetulerit ibi fortuitam quandam similitudinem agnoscere. utut est — nam res suapte natura ita comparata est ut vix disceptari possit — illud certe e discrepantia, quae est in nomine patris Europae, liquido patet Ovidium non e solo Moscho

(132) dial. mar. 15.
(133) Nonn. Dion. I. 67 sqq.

pendere. apud hunc enim Europa Phoenicis filia est, apud illum Agenoris. nec omittendum duco Ovidio in Fastis eosdem Moschi versus iterum exemplo fuisse. quos iam memoria eum tenuisse facile conicias:

Fast. V. 607 illa iubam dextra, laeva retinebat amictus,
et timor ipse novi causa decoris erat.
aura sinus implet, flavos movet aura capillos:
Sidoni, sic fueras aspicienda Iovi.
saepe puellares subduxit ab aequore plantas,
et metuit tactus assilientis aquae;
saepe deus prudens tergum demisit in undas,
haereat ut collo fortius illa suo (134).

sequitur porro, si Moschi poema ascivisse Ovidium verum est, unde fabulae ex alio fonte (mythographico, ut puto) sibi cognitae florem et colorem peteret, eum fabulas artissime cohaerentes de Europae raptu et Cadmi peregrinatione non ex uno eodemque poemate Graeco repetiisse.

in sequentibus vero in oculos incurrit singularis quidam concentus Ovidium inter et Nonnum utique per fontem communem explicandus, quem haud scio an hucusque animadverterit nemo. iam singulos locos conferendos recensebo ordinem versuum apud Ovidium secutus.

---

(134) cf. Metam. VI. 105 sqq.

ipsa videbatur terras spectare relictas
et comites clamare suas tactumque vereri
assilientis aquae timidasque reducere plantas.

Ov. Metam. III. 15:

incustoditam lente videt ire iuvencam

Nonn. Dion. IV. 313:

βοὸς βραδυπειθέϊ χηλῇ.

Ovidius iter descripturus quo bos Delphis Thebas pervenerat expectationem auditorum mirum in modum fallit:

Metam. III. 19

iam vada Cephisi Panopesque evaserat arva:
bos stetit.

Nonnus vero pleniorem descriptionem itineris praebet Dion. IV. 311—349, ubi viam faciunt per loca haecce: Daulida Panopen Tanagram Coroneam Haliarton Thespias Plataeas Chaeroneam,

348 *καὶ βοὸς ὀμφήεσσα χαμευνάδος ὤκλασε χηλή.*

apparet quidem poetam Panopolitanum in geographia Boeotiae parum versatum fuisse. unde vero haec oppidorum nomina corrasisse credendus est? nihil est quod expedire tam facile possimus: nempe de fabula Cadmi librum secutus seriem oppidorum Delphos inter et Thebas sitorum exhibentem, quorum nomina haec sunt: Daulis Panope Coronea Haliartos, ordinem traditum servavit, sed quattuor insuper ipse addidit oppida notissima (135). contra ea quam op-

---

(135) etiam Nonni aetate extabant Tanagra Thespiae Plataeae Chaeronea teste Hierocle, synecd. 643 sqq.

pidorum seriem inepte auxit Nonnus eandem Ovidium misere decurtare videmus. cui cum longa et copiosa descriptio itineris taedium moveret, admodum inscite unum tantum oppidum idque paene primum omnium ceteris omissis retinuit.

conferatur scholion ad Apollonium Rhodium (136), ubi recensentur scriptores rerum Thebanarum Lysimachus (137) Hellanicus Pherecydes. in quo scholio etiam haec leguntur: *ἐν δὲ τῇ γ' Μουσαῖος Τιτανογραφίᾳ λέγεται ὡς Κάδμος ἐκ τοῦ Δελφικοῦ ἐπορεύετο προκαθηγουμένης αὐτῷ τῆς βοός.* male factum quod gravior corruptela in his verbis non sinit de auctore quidquam pro certo statuere (138) praeter hoc unum: descriptionem itineris a scholiasta nobili cuidam scriptori esse tributam.

Metam. III. 26 (Cadmus):

sacra Iovi facturus erat.

Nonnus, apud quem prorsus similiter bos ubi cecidit continuo arae admovetur, non dicit cuinam deo deaeve victima destinata esset. sed paulo post (139) Spartis devictis Cadmum bovem Minervae (140)

---

(136) III. 1178 sq.

(137) scimus haec omnia Lysimachi *Θηβαικοῖς παραδόξοις* quae laudat debere scholiasten. v. Radtkei diss. infra laudatam sub adn. 165.

(138) tribuebatur Musaeo Titanomachia. v. O. Kern, de Musaei Atheniensis fragmentis, ind. lect. Rostoch. 1898.

(139) Dion. V. 6.

(140) cf. bibl. Apoll. III. 22: *βουλόμενος δὲ Ἀθηνᾷ καταθῦσαι τὴν βοῦν.* schol. Aesch. Sept. 469: *ἔθυσε δὲ τὴν βοῦν Ἀθηνᾷ.*

sacrificantem facit, quae eum praesentia et consilio adiuverat. ergo differentiam quamvis levissimam inter scriptores intercedere statuimus, sive Ovidius hoc innovarit sive Nonnus initio libri V aliis fontibus usus sit atque in fine libri praecedentis.

Metam. III. 49:

hos necat adflata funesti tabe veneni

Nonn. IV. 370:

καὶ χλωρὸν ἀνήρυγεν ἀφρὸν ὀδόντων
εἰς δέμας ἠιθέοιο.

et apud Ovidium et apud Nonnum Cadmus molari ac deinde ferro serpentem aggreditur, cum alii lapide, alii gladio eum pugnasse narrassent (141).

Metam. III. 77 sqq.:

ipse modo immensum spiris facientibus orbem
cingitur, interdum longa trabe rectior astat . . .
81 cedit Agenorides paulum spolioque leonis
sustinet incursus.

---

oraculum in schol. Eur. Phoen. 638: *τὴν μὲν ἔπειτα μελαμφύλλῳ Χθονὶ ῥέζειν.*

(141) schol. Eur. Phoen. 662 *ὁ μὲν οὖν Ἑλλάνικος λίθῳ φησὶν ἀναιρεθῆναι τον δράκοντα, ὁ δὲ Φερεκύδης ξίφει.* Eur. Phoen. 662 sq. *ὃν ἐπὶ χέρνιβας μολὼν Κάδμος ὤλεσε μαρμάρῳ.* in vasculis pictis quoque Cadmus aut lapide pugnat (v. Furtwängler Märzsitz. d. A. Ges. 1891 D. L. Z. 1891, 471) aut ferro (e. g. antiq. Berol. 2634). quorum testimonia in tali re fateor parvi aestimanda esse, cum Cadmus lapide et ferro simul pugnans pingi non posset.

Nonn. IV. 377:

καὶ ταχὺς ἀμφιέλικτος ἐπὶ κνήμησιν ἀνέρπων
Κάδμον ἀπειλητῆρι δράκων ἐζώσατο δεσμῷ·
καὶ δέμας ὀρθώσας μέλλων ἐπιβήτορι παλμῷ·
ταυρείης περίκυκλον ἐς ὀμφαλὸν ἅλτο βοείης.

Metam. III. 93:

pondere serpentis curvata est arbor et ima
parte flagellari gemuit sua robora candae.
dum spatium victor victi considerat hostis,
vox subito audita est neque erat cognoscere promptum
unde, sed audita est: quid, Agenore nate, peremptum
serpentem spectas? et tu spectabere serpens.

Nonn. IV. 414:

κυλινδομένη δὲ κονίῃ
ἠθάδα κύκλον ἕλισσε παλίλλυτον ἄστατος οὐρή
καὶ δαπέδῳ τετάνυστο δράκων νέκυς· ἀμφὶ δὲ νεκρῷ
θοῦρος Ἄρης βαρύμηνις ἀνέκραγε· χωομένου δὲ
Κάδμος ἀμειβομένων μελέων ἑλικώδει μορφῇ
ἀλλοφυὴς ἤμελλε παρ' Ἰλλυρίδος σφυρὰ γαίης
ξεῖνον ἔχειν ἴνδαλμα δρακοντείοιο προσώπου.

uterque scriptor multus est in acie militum terra exurgentium describenda.

cf. Metam. IV. 108:

tegmina mox capitum picto nutantia cono
mox umeri pectusque.

cum Nonn. IV. 433:

ἄλλος ὑπερκύπτοντα λόφον προβλῆτα τιταίνων
οὔπω στέρνον ἔφαινε.

levis discrepantia in eo cernitur, quod apud Ovidium Metam. 115:

territus hoste novo Cadmus capere arma parabat,

apud Nonnum vero multos sua manu trucidat (142). aliquanto gravior illa est, quod apud Ovidium sponte existit bellum inter fratres, apud Nonnum vero lapidis iactu irae Terrigenarum excitantur (143). his omnibus diligenter perpensis dubium esse nequit quin Ovidio et Nonno subsit fons communis, epyllion videlicet Alexandrinum.

de Cadmi et Harmoniae metamorphosi (144), quam eidem fonti Alexandrino me non tribuere vix opus est monere, Crusi (145) sententia praetermittenda non est Ovidium a poeta Graeco recentioris aetatis pendere censentis, sive hunc ipse legerit sive non

---

(142) in bibl. Apoll. Sparti invicem se occidunt. additur: *Κάδμος δὲ ἀνθ᾽ ὧν ἔκτεινεν † ἀίδιον* (Sevinus *ἀνδρῶν*) *ἐνιαυτὸν ἐθήτευσεν Ἄρει.* atque sunt qui suspicentur bibliothecae scriptori fabulae figuram, quae apud Nonnum extat, obversatam esse. in schol. Il. B. 494 quod magnam partem cum bibl. Apoll. ad verbum concinit Cadmus servit Marti *ἀντὶ τῆς ἀναιρέσεως τοῦ δράκοντος.* (cf. Panzer, de mythographo Homerico restituendo, diss. Gryphisw. 1892. p. 54.)

(143) cf. bibl. Apoll. III. 23 sq. *οὗτοι δὲ ἀπέκτειναν ἀλλήλους, οἱ μὲν εἰς ἔριν ἑκούσιον ἐλθόντες οἱ δὲ ἀλλήλους ἀγνοοῦντες.* (scriptor dum exemplar suum contrahit turbasse videtur. nonne alii alteram causam discordiae, alii alteram tradiderint?) *Φερεκύδης δέ φησιν ὅτι Κάδμος ἰδὼν ἐκ γῆς ἀναφυομένους ἄνδρας ἐνόπλους ἐπ᾽ αὐτοὺς ἔβαλε λίθους, οἱ δὲ ὑπ᾽ ἀλλήλων νομίζοντες βάλλεσθαι εἰς μάχην κατέστησαν.*

(144) Ov. Metam. IV. 362—602.

(145) lex. myth. Roscher. s. v. Kadmos II. p. 852.

legerit. quam sententiam neque Crusius rationibus firmavit neque ego res occultas ac penitus abditas animo videre possum. quod vero idem Ovidium Metam. IV. 584 Euripidis memorem se ostendere scripsit, fallitur. Wilamowitzius (146) enim evicit fragmentum Euripideum (147) de quo agitur pertinere ad Erechtheum.

verum de narratione Ovidiana hactenus. iam de rebus Thebanis mythographos inspiciamus, si quid ex iis de fontibus Ovidi discere possimus.

qui inter Ovidium et bibliothecam Apollodori et alias saepenumero intercedit concentus, haud scio an nusquam magis oculos feriat quam in fabulis Thebanis. nam ut raptum Europae Thebas conditas ortum Spartorum omittam, nuptiae Cadmi et Harmoniae fabulae Actaeonis Semeles Penthei Liberi cum piratis Inus et Melicertae Cadmi denique uxorisque metamorphoses apud utrumque scriptorem ita narrantur, ut in aprico sit ambobus subesse fontem communem. scilicet stirpes heroum apud utrumque eaedem occurrunt totusque fere expositionis tenor idem est. ordinem quoque, quo utrobique fabulae narrantur, ut non prorsus eundem, sic simillimum tamen esse apparet. velut apud utrumque metamorphosis Cadmi et Harmoniae sequitur fabulas filiarum nepotumque (148). quamquam Ovidius suo arbitrio inseruit

---

(146) aus Kydathen p. 141. 63 et p. 228.

(147) trag. inc. frg. 939 Nauck.

(148) apud Hyginum quoque metamorphosis Cadmi (fab. 6) legitur post fabulam de Ino et Melicerte (fab. 5), quae etiam in Metam. libris exitum Cadmi proxime antecedit.

de Narcisso et Echo fabulam Thespiacam atque Minyeidas occasione oblata complures fabulas Asiaticas narrantes fecit. ceterum ne quis inter fontes necessitudinem angustiorem quam par est statuere velit, licet etiam in rebus minutioribus singularis haud raro cernatur consensus, etiam discrepantias inesse moneo, quae e libidine Nasonis idoneum explicatum non habeant. eadem autem fere fabularum Thebanarum conformatio invenitur apud Diodorum et Hyginum, interdum etiam apud Nonnum. atque consensus is est ut Ovidium, licet poetas Graecos hic illic adhibuerit, totum tamen tenorem rerum mythographico enchiridio debere ponere non dubitem. libenter autem Nonnum item egisse crediderim. etenim discrepantias quas supra in fabula Cadmi Ovidium inter et Nonnum notavimus optime explicaris, si sumas utrumque scriptorem utilissima mythographorum enchiridia, quibus traditus tenor rerum facillime cognoscebatur, vix umquam seposuisse ac ne magno quidem poeta auxilio arcessito plane neglexisse.

contra Ovidium in fabula Cadmi maxime e mythographis pendere visum est Crusio, qui mira disseruit de fabulae figura quae occurrit apud mythographos posteriores. non enim suo pretio fabulam vulgarem aestimare videtur, cum tamen bibliotheca Apollodori, tametsi interdum tragicos et recentiores poetas subsecuta est, antiquas et genuinas fabularum figuras referre soleat. ecce ipsa Crusi verba: die Ueberlieferung unserer Mythographen geht durch Vermittelung anonymer „Handbücher“ über Lysimachos’ *Θηβαϊκά*, Hellanicus und Pherecydes auf jene epische

Quelle (149) zurück. Auch die römischen Dichter, in erster Linie Ovid, folgen, von einzelnen colores abgesehen, im ganzen wol mythographischer Tradition (150).

impeditum sane et arduum explicationis genus. quae si vera sit, metuendum ne non optimae notae esse videantur quae hodie nobis apponantur istiusmodi miscellaneorum residua. quin, ut verbo complectar, si talia probarentur fabularumque figurae apud mythographos adeo confusae conturbataeque aetatem tulissent, de his studiis desperandum esset. bene factum quod ista Crusi commenta maiorem partem falsa sunt. nam ut alicunde initium faciam, ea quae scholiastes Apolloni Rhodi (151) de Pherecyde testatur abhorrent a nostra fabulae conformatione. itaque Pherecydem valere iubemus. atque eadem opera Hellanicum dimittimus quippe qui eodem scholiaste teste scripserit Cadmum dentes sevisse Marte iubente, qua in re cum Pherecyde facit, et pugnam cum Spartis omiserit (152). quid Lysimachus eiusque *ὕλη διαφωνοῦσα*? cur ex eo pendeant mythographi recentiores, qui omnes unam eandemque fabulae figuram exhibent? haud facile dixeris.

age iam investigemus quae fides sit narrationis poetae Alexandrini cuius scrinia Ovidius et Nonnus

---

(149) intellegit Catalogos Titanomachiam Musaei Europiam, fortasse Aegimium.

(150) lexic. mythol. Roscher s. v. Kadmos II. p. 826.

(151) III. 1178 sq. v. infra p. 74.

(152) schol. Apoll. Rhod. III. 1185 *῾Ελλάνικος μόνους φησὶ τούτους* (sc. quinque viros qui superstites fuerunt) *βεβλαστηκέναι.*

pariter expilarunt. quod ut recte et cum iudicio facere possimus, perlustranda nobis erunt veterum de Europae raptu Cadmique peregrinatione Thebisque conditis testimonia (153).

Theogonia Hesiodi (154) novit Cadmi et Harmoniae Veneris filiae nuptias eorumque liberos Thebis natos. scholia A B D ad Iliadem (155) raptum Europae Hesiodo assignant. cum vero versibus quibus haec scholia appicta sunt tantum de Sarpedone agatur, veri simile est subscriptionem fluxisse e breviore scholio quale exhibet codex Townleianus: *Ἡσίοδος δὲ Εὐρώπης καὶ Διός αὐτόν φησιν* (156). Thebais cyclica (157) Cadmum laudabat tamquam veterem Thebarum regem. in Odyssea (158) occurrit Ino Leucothea Cadmi filia e muliere mortali dea marina facta. Alcmani (159) quoque Inus numen notum erat. haec autem omnia non demonstrant

(153) de Cadmi fabula si etiam post Crusium l. l. dissero, valde timeo ne aegre suspicionem a me propulsem, quasi in alienam messem falcem intulerim. quamquam non plane idem utrique nostrum est propositum. Crusio enim ingens copia testimoniorum quodammodo digerenda erat, quod proprium lexicographi munus est, mihi vero de hac fabula quam brevissime potero critica disputatio instituenda est eo consilio ut definiatur quae Ovidi auctorem inter fontesque fabulae Cadmi intercedat ratio.

(154) 937 sqq. 975 sqq.

(155) M 292.

(156) cf. schol. Rhes. 29: *ὁ δὲ Ἡσίοδος Εὐρώπης μέν φησιν αὐτόν.* v. Schwartz, Quaest. Herod. p. 14.

(157) Athen. XI. p. 465 e.

(158) ε 333 sqq.

(159) frg. 83.

Homeri Hesiodique aetate hanc de qua agimus fabulam notam fuisse. in Iliade (160) denique, sed loco recenti et interpolato, occurrit Europa Phoenicis filia quae Iovi Minoa et Rhadamantum peperit. sed haec ad solam Europam spectant. de Europa vero et Cadmo agebatur in carmine epico Eumeli, ut fama erat, Corinthi, cui ab Europa nomen erat Europiae. satis documenti est, quod ibi fabulas Thebanas enarratas esse scimus (161). at compluribus carminibus epicis Europae fata exposita fuisse cum per se probabile sit, tum confirmare videtur duplex memoria quae de nomine patris Europae prodita est (162) item in Europia Stesichori Cadmi pugna cum Spartis narrata erat (163). plenius fabula de qua agimus

---

(160) *Ξ* 321 sq.

(161) schol. A D ad Il. *Z* 131 narratis Bacchi itineribus et fabula Lycurgi subiungunt haec verba: *τῆς ἱστορίας πολλοὶ ἐμνήσθησαν, προηγουμένως δὲ ὁ τὴν Εὐρωπίαν πεποιηκὼς Εὔμηλος.* Paus. IX. 5. 8: *ὁ δὲ τὰ ἔπη τὰ ἐς Εὐρώπην ποιήσας φησὶν Ἀμφίονα χρήσασθαι λύρᾳ πρῶτον Ἑρμοῦ διδάξαντος. πεποίηκε δὲ καὶ λίθων καὶ θηρίων* † † † *ὅτι καὶ ταῦτα ᾄδων ἦγε.*

(162) Europam Agenoris filiam exhibent bibl. Apoll. III. 2. Ov. Metam. II. 858. Hyg. fab. 155 et 178. Diod. V. 78. hypothesis Eur. Phoen. schol. D ad Il. *Ξ* 321, schol. Rhes. 29, schol. Aesch. Sept. 469, schol. Eur. Phoen. 217, Luc. dial. mar. 151, Varro l. l. V. 31, Festus s. v. Europa, Nonn. VIII. 183 sqq. Phoenicis filiam Asius apud Paus. VII. 4. 1. Il. *Ξ* 321 cum schol. *A* et Eustath. Antimachus apud Steph. Byz. s. v. *Εὐρώπη* et *Τευμησσός*, Eur. frg. 472, Moschi Eur. 7, schol. A D ad Il. *B* 494, schol. A B D ad Il. *M* 292, schol. Eur. Phoen. 5, Palaeph. 16, Conon 32 et 37, Clem. Rom. hom. V. 13. recogn. X. 22. matri Europae nomen fuisse perhibuerunt Perimedae vel Telephassae vel Argiopae vel Tyro. de patre Cadmi fusius disputare ab hoc loco alienum est. v. Crusium l. l. p. 832 sqq. et 844.

(163) schol. Eur. Phoen. 670.

cognoscitur ex oraculo Cadmo Delphis dato. deinde quaedam de hac fabula Pherecydem (164) docuisse cognovimus quae nonnullis placuerunt, non omnibus. consentiunt cum Pherecyde Hellanicus (165) et Euripides (166) de partibus Marti tributis, Apollonius Rhodius (167) de dentibus inter Aeeten et Cadmum divisis. primusne, quaeris, Pherecydes hic fabulae Iasonis rationem habuit? nescio. attamen hoc in hac fabula aliquando interpolatum esse patet. apud Pindarum et Sophoclem, licet Cadmum regem Thebarum et Spartorum victorem noverint, idem tamquam frater Europae non inducitur. raptus Europae ab ipsa narrabatur in Aeschyli fabula, cui inscriptum erat Europa sive Cares (168). est etiam patera fictilis Attica (169) prioris partis saeculi quinti in qua Europam tauro divino vectam pictor repraesentavit.

---

(164) schol. Apoll. Rhod. III. 1178 sq. *Φερεκύδης δὲ ἐν τῇ πέμπτῃ οὕτω φησίν· ἐπεὶ δὲ Κάδμος κατῳκίσθη ἐν Θήβῃσιν, Ἄρης διδοῖ αὐτῷ καὶ Ἀθηναίη τοῦ ὄφιος τοὺς ἡμίσεις ὀδόντας, τοὺς δὲ ἡμίσεις Αἰήτῃ· καὶ ὁ Κάδμος αὐτίκα σπείρει αὐτοὺς εἰς τὴν ἄρουραν Ἄρεως κελεύσαντος καὶ αὐτῷ ἀναφύονται πολλοὶ ἄνδρες ὡπλισμένοι. ὁ δὲ Κάδμος δείσας βάλλει αὐτοὺς λίθοισιν. οἱ δὲ δοκέοντες ὑφ᾽ ἑαυτῶν βάλλεσθαι κρατέουσιν ἀλλήλους καὶ θνῄσκουσι πλὴν πέντε ἀνδρῶν Οὐδαίου Χθονίου Ἐχίονος Πέλωρος Ὑπερήνορος καὶ αὐτοὺς Κάδμος ποιεῖται πολίτας.* v. Radtke, de Lysimacho Alexandrino, diss. Argent. 1893 p. 9. cf. bibl. Apoll. III. 24.

(165) ibidem III. 1178 et 1185. H. fabulam narravit *ἐν α΄ Φορωνίδος* et *ἐν Βοιωτιακοῖς*, teste schol. A D Il. *B* 494.

(166) Herc. 252 sq.

(167) Argon. III. 1178 sqq.

(168) trag. Graec. frg. ed. Nauck² Aesch. 99.

(169) Jahn Katal. d. Münch. Vasens. (18—54) no. 208. v. Jahn: die Entführung der Europa, Denkschrift der Wiener Akademie 1870, phil. hist. Klasse. 19. 1—54.

apud Herodotum Cadmi peregrinatio sororis quaerendae causa suscepta commemoratur (170) in Euripidis Phoenissarum cantico (171) Cadmi adventus in Boeotiam certaminisque cum angue Martio descriptio eiusmodi est ut nulla inter hanc et oraculum supra allatum discrepantia sit, quamquam hic illic alia fusius alia brevius narrantur. mythographi denique recentiores tam cum oraculo quam cum Euripide consentiunt (172).

rationibus subductis concludimus fabulam vulgarem fluxisse ex excerptionibus carminum epicorum. hoc modo enim tecum reputa. fabula Europae et Cadmi omnino e carminibus epicis fluxit. illud tantum in quaestionem vocandum est fuerintne scriptores qui suo arbitratu quaedam immutarint in figura epica tantamque auctoritatem nacti sint ut mythographi qui antiquas fabulas sectabantur eorum inventa tamquam genuina fabulae lineamenta, ut ita dicam, receperint. equidem prorsus nullum reperio. sin autem verum vidit Fridericus Spiro (173), cauticum illud Phoe-

---

(170) II. 49, IV. 147, V. 57 sq.

(171) 638—675.

(172) bibl. Apoll. III. 22 narrat Cadmum cum per Phocidem iter faceret bovi incidisse *ἐν τοῖς Πελάγοντος βουκολίοις*. Hyg. fab. 178: ibi responsum accepit, ut a pastoribus bovem emeret, qui Lunae signum latere haberet eamque ante se ageret. Paus. IX. 12. 1 *λέγεται δὲ καὶ ὅδε ὑπ' αὐτῶν λόγος ὡς ἀπιόντι ἐκ Δελφῶν Κάδμῳ τὴν ἐπὶ Φωκέων βοῦς γένοιτο ἡγεμὼν τῆς πορείας, τὴν δὲ βοῦν ταύτην παρὰ βουκόλων εἶναι τῶν Πελάγοντος ὠνητήν· ἐπὶ δὲ ἑκατέρᾳ τῆς βοὸς πλευρᾷ σημεῖον ἐπεῖναι λευκὸν εἰκασμένον κύκλῳ τῆς σελήνης ὁπότε εἴη πλήρης.*

(173) de Euripidis Phoenissis. diss. Berol. 1884 p. 8—16. iam Crusius l. l. Spironi hic illic adversatus est.

nissarum nova quaedam exhibet ab Euripide inventa atque posterioribus temporibus ad fabulam conformandam apud poetas et mythographos plurimum valuit. cuius sententiam operae pretium est paulo diligentius considerare.

cum scholiastes Euripidis (174) doceat Spartorum nomen ab aliis aliter explicari, apud Stesichorum autem Minervam dentes sevisse, Spiro concludit Euripidem Stesichorum subsecutum esse, nisi quod hoc unum innovarit, ut quae apud illum Minerva, iam in tragoedia Cadmus faceret Minervae consiliis invitatus. quod nequaquam consectariis rationibus sequitur. non enim, si Stesichorus *τοὺς Σπαρτοὺς* a verbo *σπείρειν* duxit (175) quod forsitan tritissimum fuerit, idemque Euripidis animo obversatur, necessario efficitur Euripidem hoc Stesichoro debere totamque fabulam ab eo mutuatum esse. neque ergo est cur Euripidem innovasse dicamus ea in quibus a Stesichoro dissentit (176). at tradit scholiastes Apolloni Rhodi Pherecydem et Hellanicum dixisse non Minervae, ut est apud Euripidem, sed Martis iussu Cadmum dentes sevisse. qua fabulae figura Euripides in Hercule usus est. unde Spiro colligit Euri-

---

(174) ad Phoen. 670.

(175) hoc quidem e scholii verbis effici posse Spironi concedo.

(176) fortasse recte Crusius l. l. p. 828: nur ein verdichteter Ausdruck der selben Ueberlieferung ist es, wenn nach dem Schol. zu Phoen. 670 Stesichoros *ἐν Εὐρωπείᾳ τὴν Ἀθηνᾶν ἐσπαρκέναι τοὺς ὀδόντας φησίν*. cf. Eur. Herc. 252 sq. *ὦ γῆς λοχεύμαθ᾽, οὓς Ἄρης σπείρει ποτε λαβρὸν δράκοντος ἐξερημώσας γένυν*. v. Wilamowitzi comment.

pidem neglectis iis quae olim in Hercule cecinisset Martem iam non modo loco movisse, sed etiam in contrarias partes abire iussisse, adeo ut serpentem Martium faceret (177), ac ne tum quidem pluribus verbis dignum putasse utpote deum qui apud Athenienses non multo honore frueretur. quod mihi quidem non persuasit, cum et temere sumat apud Pherecydem et Hellanicum Martem a partibus Cadmi stetisse et omnino quaestionem angustioribus quam par erat finibus circumscribat. quodsi consideramus quot scriptores praeter paucos illos, quorum scripta aetatem tulerunt, Cadmi fabulam illustrasse consentaneum sit, quid est cur Euripidem hoc invenisse existimemus? sane si quis dicat Euripidem haec omnia tradita accepisse, in summa testimoniorum penuria ne hoc quidem demonstrare poterit. quid ergo? ea sequamur quae probabilia esse videntur. ego saltem quamquam probe scio quam licenter antiquas fabulas tractare soleat Euripides, ubicumque eas ad fines suos accommodare velit, mirarer si in hoc cantico componendo traditam fabulam sine ulla necessitate immutasset. quapropter si Apollonius Rhodius bibliotheca Apollodori Ovidius Nonnus cum Euripide de Martis et Minervae partibus aliquatenus consentiunt, inde, si me audis, cum Spirone concludere non licet eos hac ex parte ex Euripide pendere. haec autem de Euripidis et Spironis sententia nobis sufficiant.

restat ut Eduardi Schwartzi Quaestiones Herodoteas (178) commemorem ubi gravissimis momentis

---

(177) Phoen. 657 δράκων Ἄρεως.

(178) ind. lect. Rostoch. 1890.

declaravit (179) Cadmi fabulam olim epico quodam carmine expositam fuisse. idem observavit fabulam Thebarum conditarum et ortus Spartorum deberi poetae non valde antiquo, immo praeter ipsum Cadmi nomen nihil continere quod ad veterem historiam Thebarum referri possit (180). denique suspicatus est — id quod mihi plane probavit — epos illud deperditum scriptum fuisse in Ionia, ubi Cadmei patria sua pulsi etiam novam Θήβην condiderant. in his omnibus cum Schwartzio facio, de carminis epici vero summa atque argumento dissentio. scilicet incredulus Schwartzium contendentem audio in hoc carmine epico Europam a Dite raptam fuisse, postea vero repertam a Cadmo in Boeotia. puellam autem a Iove inferno propterea raptam fuisse conicit quod Europam numen infernum fuisse censet. qua de re nunc penitus disceptare nolo. sed fuerit Europa olim inferna dea, tamen nequaquam sequatur etiam in epico carmine ei raptorem Stygium tributum fuisse. ante omnia vero examinandum est cuinam tribuatur fabulae figura qua Europa in Boeotiam pervenerit. quoniam autem Pherecydes (181) Cadmo, cum Harmoniam duceret, sororem monile dono dedisse auctor est, oportere dicit Schwartzius Europam in Boeotia cum Cadmo congressam esse. quid si dono miserit? et hoc narrare potuit Pherecydes. verum sit sana, ut vult, Europa apud Pherecydem in Boeotia cum Cadmo congressa: sequiturne ut a raptore statim in

(179) p. 14.
(180) p. 15 sqq.
(181) bibl. Apoll. III. 25.

Boeotiam deducta sit? minime gentium. tali certe testimonio pro fundamento uti parum tutum videtur. at Antimachum Colophonium novimus scripsisse Europam a Iove in spelunca montis Teumesi prope a Thebis abditam esse (182). vide tamen ne Antimachus suo Marte ab antiqua narratione recesserit. cuius mutationis ratio non alte petenda esset. Europa enim si non in Cretam deveniret, heroum Cretensium mater fieri non poterat. multi diu multumque quaesiverunt quaenam olim fuerint vincula Boeotiam inter et Cretam (183) neque ullum responsum datum est quod placere possit (184). poetae vero saeculi quinti qui carmen epicum conditurus argumentum sibi prospexerat e temporibus mythicis, molestissimum visum esse crediderim sedulo et ordine enarrare Creticam stirpem Europae, cum ad res Thebanas properaret. quapropter virum quamvis *περιττὸν καὶ ἀδολέσχην* fabulam traditam contraxisse arbitror atque Europam

---

(182) Steph. Byz. s. v. *Τευμησσός*. cf. Paus. IX. 19. 1. Arist. rhet. *Γ* p. 1408 a 2.

(183) v. Welcker, über eine Kretische Kolonie in Theben. p. 43. H. D. Müller, Mythologie der griechischen Stämme. p. 236. Ed. Schwartz, Quaest. Herod. p. 13.

(184) quid ipse sentiam paucis indicare liceat. fabulam de qua agimus quia natam esse probabile est, cum Cadmus Thebanus cum matre regum Cretensium consanguinitatis vinculis coniungeretur, eposque de Europa et Cadmo in Ionia ortum esse aliunde patet, meo iure conicio novam fabulam extitisse apud Colophonios, in civitate nova, quam Cretenses una cum Cadmeis condidisse fama erat. (v. Thebaida apud schol. Apoll. Rhod. I. 308 et Paus. VII. 3.) qui qua erant Graeci ingeni felicitate finxerint Cadmi cum Europa originem communem, ut gentis utriusque primordia a fratre et sorore repeterent.

iam non in Cretam, sed in Boeotiam deductam esse finxisse.

revertimur ad Ovidium et Nonnum. quorum auctorem iam et ipsum fabulam vulgarem secutum esse perspicuum est. nam narrationis tenor totus concinit cum mythographis recentioribus. velut e deorum numero Cadmo affuisse Minervam Ovidius bibliotheca Apollodori Hyginus Nonnus (185), partibus quas Pherecydes et Hellanicus Marti tribuunt omissis, fideli concordia testantur omnes. una tamen notanda est differentia. scilicet narrabat poeta Alexandrinus Cadmum bovem non in Phocide a Pelagonte emisse, sed statim Delphis offendisse (186). qua in re consentit cum hypothesi Phoenissarum (187) et scholiaste Aeschyli (188), ut constet eum ne hoc quidem ultro invenisse, licet illud antiquius sit. itaque nihil ipsum innovasse apparet nisi hoc unum quod duo mythographorum testimonia inter se contraria coniunxit, ubi Cadmum et molari et ferro pugnantem fecit.

---

(185) Ov. Metam. III. 101 sqq. bibl. Apoll. III. 23. Hyg. fab. 178. Nonn. Dion. IV. 389 sqq.

(186) Metam. III. 15 sq. Nonn. IV. 311 sq.

(187) *βοῦν δὲ κατὰ τύχην εὑρών.*

(188) ad Sept. 469: *ὁ δὲ θεὸς εἶπεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἐξελθεῖν τῷ εὑρεθέντι ἀκολουθεῖν. εὑρέθη βοῦς· ἠκολούθει.*

DE OVIDI METAM. VII. 294 sqq.

Ovidius narrata fabula Aesonis quem recoxit Medea adiungit:

Metam. VII. 294

> viderat ex alto tanti miracula monstri
> Liber et admonitus iuvenes nutricibus annos
> posse suis reddi, capit hoc a Colchide munus.

similiter autem in hypothesi Euripidis Medeae allatis tribus versibus Nostorum quibus Medea venenis suis perfecisse dicitur, ut Aeson senectutem exueret, subiungitur:

Αἰσχύλος δ' ἐν ταῖς Διονύσου τροφοῖς ἱστορεῖ ὅτι καὶ τὰς Διονύσου τροφοὺς μετὰ τῶν ἀνδρῶν αὐτῶν ἀνεψήσασα ἐνεοποίησε.

statuit Robertus (189). idque rectissime Ovidium manifesto praeter haec quae dixit nihil de renovatis nutricibus Liberi scivisse, itaque hanc quasi appendicem simul cum fabula Aesonis traditam accepisse. tum, cum persuasum haberet poetam ultro nexum invenisse inter fabulas, quarum altera in hypothesi tantum per argumenti similitudinem cum altera coniuncta esset, conclusit Ovidium eas e Medeae hypothesi cognitas habuisse. quae conclusio, praesertim cum ipse Ovidius tragoediam Medeam scripsisset, nonnullis probabilis, multis etiam certissima esse vi-

(189) Bild und Lied p. 231. 5.

debatur. ego vero, quamquam haec a Roberto et acutius inventa et subtilius explicata sunt et omnibus, quod sciam, apte inter se cohaerere videntur, tamen ne minus vera sint summopere vereor. primum enim nihil est, cur eadem quae in Medeae hypothesi alibi nusquam memoriae prodita fuisse sumamus. multi enim mythographi, puto, quotiescumque fabulam Aesonis narrabant, illud de nutricibus Liberi apud Aeschylum adnotare poterant. quod ut vel unus semel fecerit, complures idem repetere non dubitarint. tum vero quam maxime addubitare me cogit Hygini locus, cuius si Robertus memor fuisset, forsitan speciosam suam adnotationem de loco Ovidiano paulo aliter scripsisset. apud Hyginum (190) videlicet aliis aliorum opinionibus de Bacchi nutricibus allatis sequuntur haec:

hae *(sc. Oceani filiae)* in monte Nysa munere alumni *(sc. Bacchi)* potitae sunt, qui Medeam rogaverat, et deposita senectute in iuvenes mutatae sunt.

ex Ovidio haec huc irrepsisse numne tacitus opinatus est Robertus? cui suspicioni omnino locus non est, cum solus Hyginus indicet in monte Nysa Bacchi nutrices iuventutem suam recuperasse.

age diligentius conferamus Hyginum cum Ovidio. solus dicit Ovidius Liberum ex alto tanta miracula vidisse. concedo hoc utpote minus grave ab ipso inventum esse videri. sed uterque narrat — id quod in hypothesi non diserte dicitur — Libero hoc a

(190) fab. 182.

Medea munus datum esse, ut nutrices eius recoqueret. iamque considera quam parum probabiliter contendat quis Ovidium cum hypothesin sequeretur illud mente supplevisse. quidni potius mecum statuas apud mythographum quendam eum invenisse eadem fere, quae in hypothesi Medeae leguntur, sed paulo explicatiora?

DE EXCERPTIONIBVS MYTHOGRAPHICIS

in fontibus Ovidi indagandis, ut supra diximus, illud ante omnia singulis locis quam accuratissime definiendum est utrum poetam an mythographum secutus sit. praeter fontes vero, unde argumenta narrationum sive exornata sive inornata accepit, persaepe, ni fallor, usus est excerptionibus mythographicis quales in Hygini fabularum libro (191) multae leguntur qualesve exhibent Clemens Romanus et Clemens Alexandrinus eiusque compilatores (192). quas non tantum puerorum in usum, sed etiam poetarum et litteratorum hominum confectas esse iure statuit Michaelis (193). semper et ubique sane, ubi nomina mythologica collecta invenimus, discerni non

---

(191) inde a c. 121.

(192) v. Gualth. Michaelis, de origine indicis deorum cognominum. diss. Berol. 1898 p. 70—87.

(193) ib. p. 67.

potest librone an memoria fretus scribat poeta. attamen haud abs re fuerit quibus locis excerptionum quas dico manifesta vestigia videre mihi videor, eos cunctos sub unum conspectum ponere. initium faciam a loco notatu utique digno in Minyeidum fabula incluso, quo Bacchus inani verborum tinnitu atque strepitu celebratur:

Metam. IV. 11

turaque dant Bacchumque vocant Bromiumque Lyaeumque
Ignigenamque satumque iterum solumque Bimatrem:
additur his Nyseus indetonsusque Thyoneus
et cum Lenaeo genialis consitor uvae,
Nycteliusque Eleleusque parens et Iacchus et Euhan,
et quae praeterea per Graias plurima gentes
nomina, Liber, habes. tibi enim inconsumpta iuventa est,
tu puer aeternus, tu formosissimus alto
conspiceris caelo. tibi, cum sine cornibus astas,
virgineum caput est. oriens tibi victus adusque
decolor extremo qua tinguitur India Gange.
Penthea tu, venerande, bipenniferumque Lycurgum
sacrilegos mactas Tyrrhenaque mittis in aequor
corpora. tu biiugum pictis insignia frenis
colla premis lyncum, Bacchae Satyrique sequuntur,
quique senex ferula titubantes ebrius artus
sustinet et pando non fortiter haeret asello.
quacumque ingrederis, clamor iuvenalis et una
femineae voces impulsaque tympana palmis
concavaque aera sonant longoque foramine buxus.

primum enumerantur, uti vides, cognomina et epitheta Bacchi (194); deinde describitur dei forma res

(194) cf. *ἐπίθετα Διονύσου* apud Studemundium, Anecd. Var. I. p. 268. 275 sq. 282.

gestae thiasus (195). quaerimus unde poeta haec deprompserit, quippe quem probe novimus non fuisse hominem perquam eruditum atque profecto delicatiorem, quam qui labore improbo ipse talia corraserit. plurimi autem sunt loci in Ovidi carminibus qui eandem speciem atque indolem prae se ferunt, nullus unus, qui originem suam apertius arguat (196). nonne hoc loco perlecto vel inviti reminiscimur quibuscumque pueris versiculos latinos pangere contingebat, amplissimi illius libri, cuius inexhaustae opes Musis languentibus subveniebant? an igitur poeta interdum eandem fere viam institerit, ut ad Parnassi cacumina perveniret, quae et nobis discipulis tenenda erat? maxime quidem. quin etiam subsidiis imprudens abusus est neque satis habuit docti libelli copias grato animo haurire, sed nonnumquam particulas eius hexametris versibus expressas in opus suum recepit (197). age proponam tibi ceteros lo-

---

(195) possis mihi obicere reliqua omnia praeter tot cognomina dei Ovidio inde a puero nota fuisse. attamen si notes tautologiam:

tibi enim inconsumpta iuventa est
tu puer aeternus,

forsitan mihi concesseris hic quoque poetam alienas opes compilare. ceterum mihi persuasit Wilamowitzius rationibus demonstrari non posse Ovidium ea quae comprehenduntur vv. 20—30 pariter atque reliqua e libro mythographico descripsisse.

(196) non conferendi sunt Fast. III. 715 sqq.

(197) item egit, nisi quod illi animi simplicitas sontica causa est, poeta Anglicus saec. XIV, de quo Taine, histoire de la littérature anglaise, 9ème édition I. p. 218: Chaucer a l'air d'un enfant précoce et poète qui mêlerait à ses rêveries d'amour les citations de son manuel et les souvenirs de son alphabet.

cos Metamorphoseon quos Ovidium transtulisse suspicor ex uno pluribusve libris, quibus nomina mythologica commentario brevissimo astructa ordine disposita erant.

poeta postquam Theseum a parente suo agnitum esse narravit, quaesivit occasionem seriei rerum gestarum Thesei inserendae. atque vide quam pulcre res ei cesserit. convivia, inquit, agitant patres

Metam. VII. 432

et medium vulgus. nec non et carmina vino
ingenium faciente canunt.

carmine autem quod subiunxit fortia facta Thesei recensuit, sed nullo modo exornavit.

Herculis quoque res gestae, sed ab ipso iam veneno imbuto enumerantur (198). neque iniuria credo Ehwaldium (199) statuisse Ovidium hac in re Sophoclis exempli memorem fuisse (200).

Achilles quoque miratus se Cycnum vulnerare non potuisse facta sua ipse colligit:

Metam. XII. 106

manus est mea debilis ergo
quasque, ait, ante habuit vires, effudit in uno?
nam certe valuit, vel cum Lyrnesia primus
moenia deieci vel cum Tenedonque suoque
Eetioneas implevi sanguine Thebas,
vel cum purpureus populari caede Caicus
fluxit opusque meae bis sensit Telephus hastae,

---

(198) Metam. IX. 182 sqq.

(199) in commentario editionis suae.

(200) Trach. 1099 sqq.

ubi ne apte quidem mentio Telephi sanati inicitur, quippe quae non faciat ad demonstrandum manum Achillis valuisse.

et eadem et alia facta Achillis alio loco iterum recensentur ab Ulixe (201).

idem enumerat Troianos a se occisos:

Metam. XIII. 256

> cum multo sanguine fudi
> Coeranon Iphitiden et Alastoraque Chromiumque
> Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque
> exitioque dedi cum Chersidamante Thoona
> et Charopem fatisque immitibus Ennomon actum
> quique minus celebres nostra sub moenibus urbis
> procubuere manu.

septem viri quos primos nominavit occiduntur ab Ulixe in Iliados *E* (202), quattuor quos deinde posuit et insuper Socus Charopis frater in Iliados *Λ* (203). quis credat Ovidium haec nomina aut memoria tenuisse aut e duobus Iliados libris conquisivisse? commode, si me audis, praebebat libellus. apud Hyginum et nobiles viri qui in bello Troiano occiderunt referuntur c. 113, ubi legitur: „Ulysses (occidit) Hippodamum, idem Chromium", et numerus hostium, quot quisque interfecit, indicatur c. 114, ubi legitur: „Ulysses numero XII." ceterum ignoro quid Ovidium permoverit ut Coeranon Iphiti filium diceret. sed crediderim recte observasse Ehwaldium

(201) Metam. XIII. 171 sqq.

(202) 677 sqq.

(203) 422 sqq.

(204) Ennomon tamquam fatis immitibus actum induci quod confundatur cum altero Ennomo qui fuit *οἰωνιστής*,

Il. *B* 859 *ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν.*

nota autem poetam tum facillime homonyma confundere potuisse, cum excerptionibus uteretur.

quae autem Arachne in telo designat deorum furta (205) similem originem clamant. egit de Iovis amoribus Michaelis (206), qui cum in veste Arachnes pictae fuisse dicantur paelices Iovis haece: Europa Asterie Leda Antiope Alcmene Danae Aegina Mnemosyne Proserpina, harum nullam nisi Asterien deesse animadvertit in indicibus mulierum, quas Iuppiter transformatus vitiarit, qui extant apud Clementem Romanum (207). ubi quidem Asteries nomen casu excidisse idem probabiliter coniecit (208).

in Neptuni amoribus ridiculum in modum lapsus est Ovidius, cuius errorem quilibet concedat necesse est per usum harum quas dico excerptionum optime explicari:

Metam. VI. 116

tu visus Enipeus
gignis Aloidas.

---

(204) in commentario editionis suae.
(205) Metam. VI. 103—126.
(206) l. l. p. 50 sq.
(207) hom. V. 13, recogn. X. 22.
(208) l. l. p. 40.

Neptunum enim notum est specie Enipei Tyro decepisse, ex qua procrearit Pelian et Neleum (209), Aloidas vero ex Iphimedia Aloei coniuge (210).

Metamorphoseon libris XIII et XIV licet passim aperte Vergili Aeneida sequatur poeta, tamen interdum operam dat ut narrationem suam ab exemplo aliquantulum diversam reddat. velut nomen Harpyiae Celaenus (211) varietatis gratia convertit in Aello, quod nomen Harpyiae etiam ex Hesiodo (212) notum est. rursus igitur deprehendimus poetam de Harpyiis solita subsidia evolventem.

ad hosce Metamorphoseon locos pauci quidem alii accedant ex aliis libris petiti, primus ex Amoribus (213), ubi recensentur puellae, quas fluvii compresserunt, alter ex Heroide XIX (214), ubi quas Neptunus amavit, enumerantur complures quidem (215), verum non omnes, siquidem pergit Ovidius:

136 et quarum memini nomina lecta mihi.
has certe pluresque canunt, Neptune, poetae
molle latus lateri composuisse tuo.

sentisne hic ipsum poetam loqui, non cui haec verba tribuuntur Sestiam puellam?

---

(209) bibl. Apoll. I. 90.
(210) bibl. Apoll. I. 53.
(211) Verg. Aen. III. 211. 245. 365. 713.
(212) Hes. Theog. 267. bibl. Apoll. I. 10.
(213) III. 6. 23 sqq. ubi ordo litterarum non prorsus evanuisse videtur.
(214) 129 sqq.
(215) Amymone Tyro Alcyone Calyce Medusa Laudice Celaeno. Metam. VI. 115—120 innuuntur Canace Tyro Iphimedia Theophane Ceres Medusa Melantho.

idem ibidem reppererat, credo, quorum in amplexibus Pliades venerint deorum (216).

denique est exemplum gravissimum, ubi confusio homonymorum nisi per libri usum, qui idem damnum contraxerat, aptum explicatum non admittit. etenim Ovidius Scyllam Nisi filiam cum altera illa Scylla, quae in monstrum marinum mutata est, quattuor locis permiscuit, videlicet

Am. III. 12. 21

Scylla patri caros furata capillos
pube premit rapidos inguinibusque canes.

Ars am. I. 331. ubi suos versus repetiit et homo doctus manifesti erroris tollendi causa duos versus interpolavit:

filia purpureos Nisi furata capillos
[hunc hostem patitur cum reliquis avibus.
altera Scylla novum Circes medicamine monstrum]
pube premit rapidos inguinibusque canes.

Rem. am. 737 praeterita cautus Niseide navita gaudet

Fast. IV. 500 Nisaei, naufraga monstra, canes.

nemo, sat scio, facile suspicabitur iam Graecum poetam ante Ovidium tale quid novasse; nam neque apud poetas neque apud mythographos ullum aliud tam mirae confusionis extat documentum neque Tzetzae in talibus rebus ulla est auctoritas, qui de Scylla monstro marino adnotavit (217):

κατ' ἐμὲ θυγάτηρ ἦν Νίσου τοῦ Μεγαρέως.

(216) Fast. IV. 172 sqq.
(217) ad Lyc. 650.

contra apud Latinos poetas idem vitium conspicitur:

Prop. V. 439

quid mirum in patrios Scyllam saevisse capillos
candida que in saevos *inguina* versa canes.

Verg. Ecl. VI. 74

quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
candida succinctam latrantibus *inguina* monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
a timidos nautas canibus lacerasse marinis.

possis quidem conicere Vergilium Ovidio pariter ac Propertio erroris auctorem fuisse. iam vero conferas Ciris locum utique notatu dignum:

54 complures illam et magni, Messalla, poetae
(nam verum fateamur, amat Polyhymnia verum)
longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestasse voraci;
illam esse aerumnis quam saepe legamus Ulixi
candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
deprensos nautas canibus lacerasse marinis.
sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae
nec malus istorum dubiis erroribus auctor.

viden poetam vellicare Ovidium (218) Propertium Vergilium inprimis, quem quidem ad verbum trans-

---

(218) si Ciris ante carmina Ovidiana scripta fuisset, verisimile est Ovidium eam lecturum fuisse. si legisset, admonitus Scyllas non confudisset. de aetate Ciris cf. A. Zingerle, kleine philologische Abhandlungen III. p. 23—31, qui recte sensisse mihi videtur, licet nihil demonstrarit neque quidquam omnino pronuntiarit.

scripsit? clarissimi vates, inquit, dum Nisi filiam in monstrum marinum abiisse tradunt, fabulas plane diversas imperite confundunt; quorum opinioni refragatur Homerus (219), qui docet nympham marinam esse filiam Crataeidos, nec hercle fidem facit pessimus auctor, cui errorem suum debent. significat, uti vides, se novisse librum non optimae notae quo illi usi sint. sequiturne poetis Romanis aureae aetatis vulgo omnibus eadem subsidia studiorum quae a praeceptoribus et rhetoribus accepissent praesto fuisse? erunt fortasse quibus eiusmodi coniectura perplaceat; cum vero rerum veritas persaepe aliquanto minus simplex sit quam voluerimus, in re ancipiti nihil definire praestat.

ex iisdem libris Ovidius etiam patronymica quibus versus exornaret nullo negotio petere poterat. neque igitur est quod miremur virum minime doctum Auroram, ut hoc utar, Pallantiada (220) dixisse sive Pallantida (221), cum nobis aliunde ne innotuerit quidem eam Pallantis filiam dictam esse.

praeter mythologica vero Ovidius etiam geographica et, si quid video, astronomica (222) e libris consimilibus repetere solebat, fortasse ex iisdem, cum haec mera subsidia mythologorum essent. afferam locos qui huc pertinent.

Metamorphoseon libro I enumerantur amnes quos convocarat Peneus:

---

(219) Od. μ 124.
(220) Metam. IX. 4. 21. XV. 191. Fast. IV. 373.
(221) Metam. XV. 700.
(222) quod tamen demonstrare non possum.

578 populifer Sperchios et inrequietus Enipeus
Apidanusque senex lenisque Amphrysus et Aeas.

eadem series fluminum Thessaliae ei praesto fuit Metamorphoseon libro VII, ubi Medeam herbas colligentem facit:

228 multa quoque Apidani placuerunt gramina ripae,
multa quoque Amphrysi neque eras immunis Enipeus
nec non Peneus nec non Spercheides undae
contribuere aliquid iuncosaque littora Boebes.

in libris ex Ponto (223) XVI flumina Ponti nullo ordine recensentur.

haud raro denique iter narraturus Ovidius nomina quaedam geographica cum epithetis suis e libris collegisse videtur, quae deinceps nullo certo ordine ponat. hoc modo recensentur loca Arcadiae (224) Cyclades (225) loca Siciliae (226).

---

(223) IV. 10. 47—68.
(224) Metam. V. 607 sqq.
(225) Metam. VII. 461 sqq.
(226) Fast. IV. 467 sqq.

THEMATA

I. Ovid. Am. III. 4. 29

non proba fit quam vir servat, sed *adultera cara:*
ipse timor pretium corpore maius habet.

corrigo: *adultera rara.*

II. carmen in Hor. Od. libro I vicesimum quod incipit:

vile potabis modicis Sabinum

adversus Peerlkampium et Kiesslingium ab Horatio scriptum esse contendo.

III. Hor. Sat. I. 10. vv. 1—8, dummodo recte interpreteris, Horatio tribuendos esse apparebit.

IV. Cic. de orat. III. 216 enumerantur varia dicendi genera ita ut singulis contraria continuo apponantur:

„lene, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; *fractum,* scissum; flexo sono attenuatum, inflatum."

emendo: *tractum* coll. Cic. de orat. II. 64.

V. Apul. Metam. I. 1. at ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram auresque tuas

benivolas lepido susurro permulceam, modo si papyrum Aegyptiam argutia Nilotici calami inscriptam non spreveris inspicere, figuras fortunasque hominum in alias imagines conversas et in se rursum mutuo nexu refectas, ut mireris, exordior. quis ille paucis accipe.

ita vulgo distinguitur. ego interpungo: — — — refectas ut mireris. exordior. quis ille? paucis accipe.

VI. in fragm. Archilochi Reitzensteiniano:

— — — — — — — — — — —

κύματι πλαζόμενος
κὰν Σαλμυδησσῷ γυμνὸν εὐφρονέστατα
Θρήικες ἀκρόκομοι
λάβοιεν (ἔνθα πόλλ᾽ ἀναπλήσει κακὰ
δούλιον ἄρτον ἔδων)
ῥίγει πεπηγότ᾽, αὐτόν etc.

αὐτόν significare arbitror *solum*.

VII. in fragmento Choerili Perseidos apud Stob. ecl. III. 27. 1

ὅρκον δ᾽ οὔτ᾽ ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι οὔτε δίκαιον

Cobetus (Mnem. IX. 1860) cui praeiverat Meinekius (ed. suae vol. IV. p. LXI) invita grammatica pro *ἔμμεναι* reposuit *ὀμνύναι*.

VIII. Eus. Praep. Evang. X. 4. 10. *συνομολογοῦσί γε τοι Ἕλληνες αὐτοί, μετά γε Ὀρφέα Λίνον τε καὶ Μουσαῖον, οἳ δὴ πάντων μάλιστα θεολόγων παλαιότατοί τε καὶ πρῶτοι κατῆρξαν αὐτοῖς τῆς πολυθέου πλάνης, τοὺς ἑπτὰ παρ᾽ αὐτοῖς ἄνδρας ἐπὶ σοφίᾳ θαυμασθῆναι, οὓς δὴ καὶ ἐπονομάσαι σοφούς.*

corrigendum est: ἐπὶ σοφίᾳ πρώτους θαυμασθῆναι, e Clem. Alex. I. § 59.

IX. apud Hesychium ubi legitur:

ἀβάσκαντα· χωρὶς βλάβης

corrigendum est: χωρὶς λαβῆς. v. Hes. s. v. βασκαίνει. Phot. lex. s. v. λαβαῖς.

X. recte dicit Vasarius (VI. p. 261 sq.) Bentivolum Antonium Galeacium protonotarium Bononiae celebrem illam tabulam, quae fuit in aede Misericordiae extra muros, pingendam curasse, postquam peregrinationem Hierosolymariam feliciter obiisset. cuius sententiam iniuria impugnare Calvium (memorie — — — di Fr. Raibolini adn. 6), patet e Beroaldi commentario ad Apulei Metam. II. 4.

VITA SCRIPTORIS

Carolus Guilelmus Vollgraff civis Batavus evangelicae fidei natus sum Harlemi Non. Iun. a. MDCCCLXXVI patre Ioanne Christophoro matre Guilelmina Maria de Bas. Bruxellis quo parentes a. MDCCCLXXXIII migrarant domi doctus, mense Iunio a. MDCCCXCIV maturitatis testimonio gymnasi quod est Lugduni Batavorum instructus auctumno eiusdem anni universitatis liberae Bruxellensis civis factus sum. inde mense Octobri a. MDCCCXCVI almam litterarum universitatem Georgiam Augustam Gottingensem petii; unde mense Octobri proximi anni veni in hanc universitatem, ubi usque adhuc studiis philologicis operam dedi. docuerunt me in Germania viri clarissimi Busolt Diels Dilthey Graef Hirschfeldt Kaibel Kekule de Stradonitz Leo Guilelmus Meyer Pernice Roethe Guilelmus Schulze Vahlen Wentzel de Wilamowitz-Moellendorff Winter. seminari regi philologorum Gottingensis et seminari archaeologici Gottingensis per bis senos menses sodalis fui. ad exercitationes me admiserunt Diels de Wilamowitz-Moellendorff philologicas Hirschfeldt epigraphicas Kekule de Stradonitz archaeologicas Guilelmus Meyer Schöne palaeographicas. quibus viris bene de me meritis debitam habeo gratiam, Udalricum autem de Wilamowitz-Moellendorff ea qua par est reverentia colo.